DE CARDINALIS DIGNITATE ET OFFICIO, HIERONYMI PLATI È...

Girolamo Piatti

Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 Q
9M

13-20. 6. 21.

Digitized by Google

A H C 104 f 30

Digitized by Google

Digitized by Google

DE CARDINALIS DIGNITATE ET OFFICIO,

Hieronymi Plati è Societate IESV,

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Tractatus excellens, quo, mutato Cardinalis nomine, cuiusuis Prælati Ecclesiastici, & imprimis Cathedralis Canonici conditio & munus egregiè describitur.

LVGDVNI,
Sumptibus MICHAELIS CHEVALIER.
M. DC. XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

MICHAEL ANGELVS CALCAROLVS.

Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Cardinalis Plati Secretarius.

Ad Lectorem.

LIBELLVS hic de bono perfectoque Cardinali, decem iam annis poſt mortem Authoris elapſis, ecce proles poſthuma prodit in lucem; non ſine piis lachrymis excipiendus à multis, qui ſuauiſſimos olim viuẽtis mores amauerãt. Is eſt Hieronymus Platus è Societate Ieſu; cuius in-

genij, pietatiſque monumentum habemus tres libros de bono ſtatus religioſi, omni eruditionis varietate refertos : quos ipſemet, obſecutus amicorum voluntati, paucis antequam decederet annis, ediderat. Hunc vero librum de Cardinalis dignitate, & officio, raptim duobus circiter menſibus exarauit ſubita oborta occaſione, quam ipſe alibi enarrat: quo etiam tempore grauibus ſocietatis negociis premebatur. Nihil enim minus cogitauit initio, cum ſe rogatu fratris ad ſcribendum contulit, quam vt librum hoc de argumento conficeret. Sed epiſtolam ad Fratrem, quod idem poſtea confirmauit, paulo lõgiorem, inſtituit. Verum, dum aliud ex alio inter ſcribendũ (vt viris ingenio, doctrinaque præſtantibus vſu venire ſolet) occurrit; epiſtola in iuſtum volumẽ excre

excreuit. Quicquid vero illud eſſet ad fratrem proprie miſſum, ad quẽ vel ob ſanguinis cognationem familiariter, vel ob prudentiam breuiter ſcribẽdum eſſe cenſuerat; in vulgus certe exiturum non putauit. His igitur de cauſis ipſe Cardinalis Platus nullis adhuc amicorũ precibus adduci potuit, vt librum hunc proferret in lucem. Neque n. anſam vllam dandam eſſe cuipiam reprehẽſionis exiſtimabat carpendi videlicet fratris ſui vigilias, quaſi minus politas præpropera feſtinatione lucubrationes. Meminerat ſanè opus hoc neque recognitum fuiſſe, neque potuiſſe ſubtilius à fratre limari. Qui poſtquam ipſe ad Cardinalatus dignitatem peruenit, quinque tantum menſes vixit, è quibus eriam vno integro, lethali morbo afflictatus deceſſit è vita.

Digitized by Google

Meminerat hæc eadem ab illo ſecum breuiter fuiſſe coram diſputata: qui cum, remotis arbitris, quaſi ſecum loqui ſoleret, neque iniuria, quippe natu maior ea cum fratre liberius agere nõ dubitabat, de quibus pro ſua in auguſtiſſimum Cardinalium ordinem obſeruãtia, ne verbum quidẽ facere auſus eſſet. Valuit tandem apud Illuſtriſſ. Card. oratio mea. Valuit multorum, grauiſſimorumque virorum autoritas: quibus repugnare diutius fas eſſe non duxit: ne ſaluberrimis præceptis qualicunque dicendi genere, atque ordine traditis cæteri fraudarentur, ſi qui forte ſe putarent ex huiuſce libri lectione fructum aliquem poſſe percipere. Illud autem eundem Cardinalem maxime permouit, atque impulit, vt Romæ liber hic typis mandaretur; quod cum non-

nulla

Digitized by Google

nulla iam deſcripta ipſo inſcio, atque inuito, in aliorum manibus verſarentur; ea veritus eſt, ne librariorum (vt fere fit) mendis inquinata, aliquando ab aliis diuulgarẽtur. Fruere igitur Lector hoc religioſiſſimi viri labore: ac dum ea recoles, quæ in eo pie ſapienterque traduntur, eximiam ſimul Scriptoris virtutem, ac pietatem agnoſce. Vt intelligas hæc fratris ad fratrem exarata præcepta, non magis ex diſciplinarum reconditarum, quam ex religioſæ pietatis, ac fraternæ charitatis fontibus emanaſſe. Vale.

Clau

Claudius Aquauiua, Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVm opus hoc de Cardinalatu, à R. P. Hieronymo Plato nostræ Societatis compositum, nonnulli eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita Reuerendiss. D. Vicesgerenti, & R. P. Magistro Sacri Palatij placuerit. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 21. Martij. 1602.

Claudius qui sup.

Locus † Sigilli.

Imprimatur. Fr. Angelus Ranucius Venetus Magister, & socius Reuerendiss. P. Magistri Sacri Palatij Ord. Prad.

IN

DE CARDINALIS DIGNITATE ET OFFICIO,

Hieronymi Plati è Societate IESV,

AD FLAMINIVM PLATVM CARDINALEM FRATREM

PRÆFATIO.

CVM proximis menſibus (Frater Illuſtriſſime) ita contigiſſet, vt te repentè, & certè præter omnem vtriuſque noſtrum opinionem, Cardinalem viderem, & ſi meus in te fraternus amor multa mihi proponebat, quæ curã, & ſolicitudiné affer

afferrent, tamen vt me collegi, plura etiam occurrerunt plena ſolatij vt dignitatem hanc nec tibi obfuturam, & aliis multis, ipſique vniuerſæ Eccleſiæ profuturam eſſe ſperarem. Hæc autem omnia quę dixi ſolatia ex vno illo fonte fluebant, & ad hoc vnum caput pertinebant, quod hoc quicquid in te, & de te geſtum erat, non fortuito, non etiam humana opera, aut ſtudio, ſed omnino Dei conſilio, ac voluntate geſtum conſiderem. Primum enim memoria tenebam, qua ratione ante aliquot annos Mediolano ad hanc vrbem, & ad hæc negotia traductus eſſes, nempe inuitiſſimus, atque aliorum quidem auctoritate victus, ac neſcio qua Dei prouidentia coactus, cum antea nihil minus quam Romam cogitaſſes, tuæque vitæ rationes alia longe inſtituiſſes via. Deinde etiam recordabar, toto hoc tempore, quo Romæ fueras, qui fuiſſent animi tui ſenſus, quos mihi tu ſemper pro tua in me beneuolentia, atque humanitate notiſſimos eſſe voluiſti, quamque ex animo ſemper ab omni ambitione, & cupiditate abfuiſſes. Poſtremo, quod ca-

put

put eſt, non ſolum cognoram, ſed videram ego ipſe, quam ſincere, & caſte, ac legitime hæc tibi dignitas veniſſet, non Principum gratia, & commendatione, non tuis in vllum obſequiis, non denique hominum artificio, cum non modo minimum factum, ſed ne nutus quidem vllus à te interpoſitus eſſet. In quo etiam vt vere dicam non mediocriter me Gregorij XIV. Pont. Max. qui te elegerat virtus, ac pietas confirmauit, quem ſciebam quemadmodum in aliis, ſic in te quoque eligendo nihil aliud voluiſſe, nihil ſpectaſſe, quam vnius Dei honorem, ac gloriam, nec erat dubitandum quin talis animus talique religione, ac zelo incenſus, Dei lumine dirigeretur, in ea præſertim Sede, in qua propter loci dignitatem, etiam neſcientes prophetant. Quamobrem cum propter has, & alias etiam cauſas nihil ambigere poſſem, quin plane per oſtium ingreſſus eſſes, non autem aliunde irrepſiſſes, illud etiam ſequebatur, vt idem Deus, qui onus impoſuerat, grande illud quidem, ac formidabile, vires quoque, & robur ad perferendum, & fructuo-

ſe

ſe perferendum adderet. Sic enim fieri ſolet, idque proprium eſt diuinæ prouidentiæ, vt quemadmodum naturalibus rebus, cum earum cuique ſuũ finem, atque opus præſcripſerit, ſingulis etiam neceſſaria adiumenta ad finem illum conſequendum, opuſque exequendum impertiat, ſimillime in iis quæ ſunt ſupra naturam, eoque magis, quo hæc maiora, & altiora ſunt, quos ad ſtatum aliquem, ac munus deligit, iiſdem etiam gratiam, & opem ſuppeditet illi ſtatui congruentem. Atque huius quidem ſpei illud ego quaſi experimentum cepi, quod ſtatim atque ad iſtam dignitatem euectus es, iacta in te vidi optimi Cardinalis fundamenta. Non enim inani quadam lætitia exultaſti, non inepto inflatus tumore in magnis, & mirabilibus ſuper te ambulare cœpiſti, ſed potius ex tanti oneris magnitudine trepidare te ſenſi, quin etiam totum animum, ac vires tuas eo applicare aggreſſus es, vt officio tanto, tamque arduo quam cumulatiſſime ſatisfaceres. Acceſſit deinde illud etiam indicium huius tuę voluntatis, quod me rogaſti, & plane

INDEX CAPITVM, QVÆ IN HOC OPERE CONtinentur.

DE Ecclesiæ Sanctæ præstanti.i,& quam Deo cara sit. Cap.i.fol.9
De origine Cardinalatus. cap.ij.f.21
De excellentia,& dignate Cardinalatus. c.iij.f.38
De primo officio Cardinalium ratione ordinis. c.iv.f.53
De secundo officio Cardinalium,nẽpe eligendi Summi Pontificis.c.v.f.52
De tertio officio Cardinaliũ, quod est assistere Summo Pontifici.c.vj.f.74
Cardinales ex vi status obligatos esse ad perfectionem. c.vij.f.80
In quibus consistat hæc perfectio, quæ requiritur in Cardinali. c.viij.f.99
De particularib° virtutibus,quas debet habere Cardinalis, & primum

debet prudentia. c.ix.f.108
Quomodo acquiri vel augeri possit in Cardinali prudentia. c.x.f.116
Quomodo Cardinalis iustitiam colere debeat. c.xj.f.123
De fortitudine, quæ debet esse in Cardinali. c.xij.f.132
De studio temperantiæ, quod esse debet in Cardinali. c.xiij.f.145
De castitate, quam seruare debent Cardinales. c.xiv.f.161
Quomodo Cardinales vti debeant diuitiis. c.xv.f.174
Quæ vitare debeant Cardinales in vsu diuitiarum. c.xvj.f.190
Quomodo Cardinalis vti debeat honoribus. c.xvij.f.205
Qualis amor Dei esse debeat in Cardinali. c.xviij.f.225
De rectitudine intentionis, quam habere debet Cardinalis. c.xix.f.231
De studio orationis, quod in Cardinali esse debet. c.xx.f.246
Quæ cardinali conueniant ad animi

Digitized by Google

puritatem ſeruãdam. c.xxj.f.260
Quomodo Cardinalis ordinatus eſſe debeat erga proximos.c.xxij.f.268
Quid Cardinalis ſeruare debeat erga ſuam familiam. c.xxiij.f.280
Quid Cardinali ſeruandum ſit erga ſuos propinquos. c.xxiv.f.293
Quomodo Cardinalis nimium affectum in propinquos temperare poſſit. c.xxv.f.304
Quid Cardinalis ſeruare debeat erga alios Cardinales. c.xxvj. fol.315.
Quomodo Cardinalis debeat ſe gerere erga Summum Pontificem. cap. xxvij.f.320
De ſententia in Conſiſtorio dicenda. cap.xxviij f.330
Quod neceſſarium ſit Cardinali, vt ex animo extirpet deſiderium Pontificatus. c.xxix.f.348
Quomodo Cardinales extirpare poſſint hoc deſiderium. c.xxx.f.362
Quid ſpectare debeat Cardinalis in eli

eligendo Summo Pontifice. cap. xxxj. f. 392

Quid à Cardinali ſeruandum ſit in Legationibus vel in Gubernationibus ſibi commiſſis. cap. xxxij. fol. 412

De protectionibus, quæ Cardinalibus interdum committuntur. cap. xxxiij. f. 428

De præmio, quod debetur bonis Cardinalibus, & de pœna, quæ malis. c. xxxiv. f. 443.

DE

voluiſti, vt quæ mihi occurrerent ad perfectum Cardinalem informãdum, ea ſcriptis exponerem. Quod ego ſcribendi munus, & ſcribendi de tanta re, ſine dubio recuſaſſem, vt mihi longe impar, & difficillimum, niſi tibi vel iubenti, vel etiam cupienti, & innuenti aliquid negare nefas putaſſem. Verum cum in te duas iam quodammodo perſonas intuear, alteram fratris, alteram Cardinalis, illi quidem charitatem, huic obſeruantiam ſingularem deberi video, vtrumque autem tum per ſe, tum multo magis coniunctum ita valere debet, vt laborem omnem etiam leuem efficiat. Cum enim meus in te amor is ſit, qui eſſe debet, non ſolum in fratrem, ſed etiam in talem fratrem, quid ego tibi melius, aut vtilius optare poſſim, quam omnem copiam bonorum ſpiritualium, quæ vera bona ſunt, quæque tum in hac vita te ornent, Deoque gratum reddant, tum deinde ad alteram illam æternam, immortalemque perducant? Hæc igitur me charitas ſtimulat, vt ego quoque idem dicam quod Beatus Hieronymus Paulino. *Nihil in te mediocre eſſe* Epiſt. 13.

conten

contentus ſum: totum ſummum, & perfectum deſidero: nec ſolum deſidero, ſed etiam ſpero, quoniam ea in te ſemina, & initia tum naturæ, tum gratiæ ſenſi, & cognoui, quibus excultis eximium quendam perfectionis gradum expectari oporteat. Ego vero dum hæc ſcribo, profiteor me tibi vni ſcribere, quoniam tu mihi vnus ſatis magnum theatrum, ſatis etiam magnus es fructus harum quęcumque ſunt lucubrationum. Itaque ſi quis erit forte, qui in hunc noſtrum laborem incidat, non habebit, meo quidem iudicio, quod meam accuſet audaciam, qui ampliſſimo ordini, & ei ordini, qui aliorum omnium magiſter eſſe debeat; & ſoleat, ego minimus & poſtremus præcipere velle videar. Quod & ſi ita accideret, tamen tua me, opinor, voluntas, & auctoritas facile tueretur, quoniam ſi hoc crimen eſt, certè imperium tuum ſine maiori crimine detrectare non poteram. Quamquam illud quoque addo, non tam me hoc libello mea ſenſa expoſuiſſe, quã etiam tua. Cum enim ſæpe de his rebus inter nos colloquuti ſimus, teque ſæpe de his officijs, & de tuis deſiderijs

diſſe

diſſerentem audiuerim, meus hic labor fuit, vt noſtros communes ſermones ſcriptis mandarem, vt tu cum vacat, non mea cognoſcere tantum poſſes, ſed tua quoque recognoſcere. Poſtremo ſi mihi id propoſitum fuiſſet, vt ea commemorarem, quæ huius ætatis Cardinales in hoc ſuo munere vel omittunt facienda, vel non facienda committunt, non immerito reprehenderet, quod os meum in cœlum ponere, meæque tenuitatis terminos transgredi auſus eſſem. Verum ego quidem hoc mihi tantum ſumpſi, in eoque ſemper me tenui, vt qualis eſſe debeas Cardinalis, pro mea facultate proſequerer. Iuuat autem ita credere qui nunc ſint omnes eſſe quales debeant. Itaque ad te (Illuſtriſs. Frater) quem Cardinalem omni laude cumulatum eſſe cupio, vtar ea clauſula, qua Gregorius, tum alijs virtutibus, tum præcipue humilitate inſignis ad Ricaredum Regem vtitur, poſt multas præceptiones, quas ei ſcripſerat. *Hæc* inquit *vos auctore Deo omnia ſeruare non ambigo. Sed occaſione admonitionis exorta bonis actibus* *Lib. 4. epiſt. 114.*

actibus vestris me furtiue subiungo, vt cum non admoniti facitis, quando vobis admonens additur, iam non soli faciatis. Omnipotens autem Deus in cunctis actibus vestris cœlestis brachij extensione vos protegat, vobisque & præsentis vitæ prospera, & post multa annorum curricula, gaudia concedat æterna.

DE

DE ECCLESIÆ SANCTÆ PRÆSTANTIA, ET QVAM DEO cara sit.

CAPVT PRIMVM.

QVANQVAM infinita Dei bonitas,& sapientia ita hominum salutem gubernare potuisset, vt quisque per se separatim ad æternam felicitatem niteretur, nullo respectu nullaque colligatione cæterorum; tamen hoc ei melius,& ad multa aptius visum est, vt fideles omnes mutuo nexu deuincirentur, atque ex omnibus vna quasi Respublica, aut Ciuitas, vel potius vnum corpus sub vno capite coalesceret.

Primum enim hoc ipsi humanæ naturæ magnopere congruebat, quæ & ab vno propagata est,& tantum habet propensionis ad hanc societatem, vt nihil fere magis expetat,quam sermonis,& vitę communionem,nihil magis

oderit, & refugiat quam ſolitudinem. Deinde vero exigebat id etiam communis vſus, & vtilitas, quoniam cum habere non poſſit vnus omnia, imo vero neceſſe ſit omnibus multa deeſſe, ita rem inſtitui oportuit, vt ex aliorum coniunctione quod vni deeſſet, ab aliis ſuppleretur. Quare cum in eo tantum momenti conſiſteret, vt quicumque eſſent veri Dei cultores, ij non ſolum cum ipſo Deo, ſed etiam inter ſe eſſent quam coniunctiſſimi, hoc diligenter Diuina illa Maieſtas prouidit, & egit, vt hanc eorum coniunctionem, & admirabili artificio conciliaret, & conciliatam deinde arctius adſtringeret, non ſolum eiuſdem fidei, & caritatis, quæ interiora ſunt, ſed multis etiam externis vinculis vt ſunt ſacramenta, ritus, ceremoniæ, cæteraque huius generis, quæ ſub aſpectum cadunt. Hæc igitur animorum quam diximus multitudo collecta, hæc vniuerſitas, & cœtus ita compactus, & coagmentatus, Eccleſia eſt nimirum vt ait S. Auguſtinus, *fidelis populus per vniuerſum Orbem diſperſus*, locis quidem diſperſus, ſed illis, quæ dixi tum internis, tum

Ep. 170.

exter

externis vinculis in vnam familiam, vnumque ouile congregatus. Quod cum ita ſit, ex hoc etiam duo conſequi neceſſe eſt, primum quantam eſſe oporteat huius de qua loquimur, Eccleſiæ dignitatem, pulchritudinem, & præſtantiam, deinde quam oporteat eam Deo domino eius auctori, ac moderatori caram, & iucundam eſſe. Et quidem ad hoc vtrumque illud ſufficere poteſt, quod ſit opus Dei. Nam nec ab illo tanto, tamque ſapienti artifice extare aliquid poteſt, quod non pulcherrimum ſit, & abſolutiſſimum, cuius perfecta ſunt opera; nec dubitari debet, quin vt omnes præclari artifices cũ egregiũ aliquod opus magno ſtudio, & cura elaborarint, eo deinde gaudent, ſic Deus hoc tali præſertim ſapientiæ ſuæ partu magnopere, & certe pluſquam à nobis credi, aut capi poſſit, delectetur. Quare ſic omnino ſtatuendum eſt, nihil vel ad pulchritudinem elegantius, vel ad ſanctitatem diuinius, vel ad præſtantiam ſublimius cogitari poſſe, quam hanc omnium fidelium parentem, procreatricem, ac nutricem Eccleſiam, extra quam nihil bonum,

bonum, nihil ſincerum, nihil animæ fructuoſum eſſe poteſt. Quas etiam ob cauſas nihil eſt dubitãdum, quin ſumma illa Maieſtas, cum à ſe ipſa diſceſſerit, & ab illo, quem in ſe continet bonorum omnium cumulo, nihil aliud habeat, in quo conquieſcat, & quo oblectetur, præter Eccleſiam. Hic eius amor, hæ delitiæ, hæc eius vinea vt ait Eſaias, vel, vt eſt in canticis, hortus propter florum amœnitatem, & fructuum vbertatem, immo vero vt eam ſacræ litteræ appellant, *domus eſt Dei, & Dei ciuitas*, de qua *dicta ſunt glorioſa*, & Regnum Chriſti, *cuius non erit finis*. Optimum vere, ac fœliciſſimum regnum, atque opulentiſſimum bonis omnibus ſpiritualibus, idemque legibus, & inſtitutis ſanctiſſimis temperatum, quoniam *lex Domini immaculata, conuertens animas* à vitio ad virtutem, à terrenis ad cœleſtia; Quid autem dicamus de huius regni ordine, & pace, ac concordia, quid etiam de firmitate, in quam, ne inferi quidem portæ prævalere poſſunt? Vere enim Hilarius de hac ipſa ſic loquitur: Dum oppugnatur floret, dum opprimitur creſcit, dum

Eſaiæ 5. *Cant.* 1. 2. *Tim.* 3. *Pſal.* 86. *Luc.* 1. *Pſal.* 18 *Matt.* 16 *Lib.* 2. *de Trin.*

contem

contemnitur proficit, dum læditur vincit, dum arguitur intelligit, tunc ſtat cum ſuperari videtur. Accedit etiam ad huius regni nobilitatẽ, tum regis ipſius nobilitas, qui eſt Dei filius, & ipſe Deus, tum ciuiũ quoque, de quorum dignitate quid maius dici poteſt, quam quod ipſi quoque reges ſunt? ſic enim Petrus: *Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta: populus acquiſitionis.* Nil mirum igitur ſi hoc ſuo regno ita gaudeat Deus, vt in eo perpetuam ſibi ſedem fixerit, nec ab eo recedat vnquam. Quam ob cauſam Dei quoque tabernaculum vocatur, vt in quo ille habitet, & nos vna cum illo habitemus. Quocirca Auguſtinus quod in pſalmis dictum eſt, *Proteges eos in tabernaculo tuo*, non dubitat accõmodare ad Eccleſiam. Quid eſt, inquit, tabernaculum niſi Eccleſia huius temporis, quæ ideo tabernaculum dicitur, quia adhuc in terra peregrinatur, tabernaculum enim habitaculum eſt militum in expeditione poſitorum. Sed hoc tabernaculum quoniam Dei præſentia conſecratur, ideo templum quoque eſt; nec ob aliam

1. Pet. 2.

Pſal. 30.

cauſam tanta opera, tantaque impenſa templum illud Salomonis adeo inſigne condi voluit, eiuſque condendi Deus ipſe modum, formamque deſcripſit, niſi ad hoc Eccleſiæ templum exprimendum tanto nobilius, & excellentius, quanto anima corpori, corpus vmbræ antecellit. Itaque Auguſtinus idem in alio pſalmo verba illa
Pſal. 44. interpretans, *Adducentur in templum Regis.* Templum, inquit, Regis eſt ipſa Eccleſia. Vnde conſtituitur templum? de hominibus qui intrant templum Regis, lapides viui qui ſunt niſi fideles? In vnitate eſt templum Regis, non eſt ruinoſum, non deciſum, non diuiſum: iunctura lapidum viuentium charitas eſt. Cum igitur diuinum eſt hoc templum, & à diuino artifice tanto artificio conſtructum, tum illud inſuper habet, quod non eſt in vulgaribus tẽplis, vt etiam Deum amatorem ſuum diligere, & redamare poſſit. Ex quo illud eſt quod hanc ſuam Eccleſiam,
Cant. 1. Deus ipſe in canticis non ſolum pul-
Cant. 2. chram, & perfectam, & dilectam, ſed
Cant. 4. amicam, & ſororem, poſtremo etiam
Cant. 3. ſponſam ſuauiſſimo omnium nomine

appel

appellet, cuique ſubſit amoris mutui ſignificatio. Hoc enim eſt magnum illud ſacramentum, quod Paulus Apoſtolus commendat, & in ipſo coniugio repræſentari oſtendit, quoniam hic quoque duo ſint in carne vna, & quidem ita vt amplius ſeiungi, diſtrahique non poſſint. Quamobrem recte Bernardus, *Quid*, inquit, *ſponſa, niſi congregatio iuſtorum? quid ipſa, niſi generatio quærentium faciem ſponſi?* Non enim ille intendit huic, & non iſta illi. Propter hoc vtrumque ponit, Et ego illi, & ille mihi quia miſericors, & benignus eſt, ego illi quia non ſum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia: ego illi gratias pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille ſaluti meæ, ego illius voluntati. Igitur cum per ſe nomen ipſum ſponſæ magnum eſt, magnoque æſtimandum, tum neſcio an etiam maiora ſint quæ in eam ex hoc nomine redundarunt. Quæ enim ornamenta, quæ monilia, quas gemmas aut veſtes, quas denique, vt eſt in Canticis *aureas murenulas argento vermiculatas* donabit tam diues ſponſus tam dilectæ ſponſæ, aut potius quid

Epheſ. 5.

Serm. 69. cant.

Cant. 1.

non donabit, cum etiam humanum coniugium omnia communicet, diuitias, nobilitatem, ſplendorem, ipſam inſuper familiam, titulos, opes? Verum in hoc Eccleſiæ coniugio, illud etiam ineſt magnum, & admirabile, quod ſimul & caſtæ virginis integritatem retineat, nec tamen careat prolis fœcunditate. Itaque quod in pſalmo dicitur,
Pſal. 118. *Vxor tua ſicut vitis abundans*, id quidem Auguſtinus, ad Chriſtum dirigi exiſtimat, cuius vxor ſit Eccleſia, nos autem eius filij: Idemque alio loco. Parit, inquit, Eccleſia filios coniux Chriſti, in cuius figura Eua mater viuentium appellata eſt. Quem igitur amorem, quam credimus eſſe Chriſti charitatem in ſuam ſponſam, & talem ſponſam, & quæ eum tam multis, ac talibus, tamque optatis filiis augeat? Declarat hoc Apoſtolus cum hoc Chriſti Eccleſiæque ſuauiſſimi, caſtiſſimique amoris plenum connubium coniugatis omnibus, quaſi amandi exemplar proponit. *Viri*, inquit, *diligi-*
Epheſ. 5. *te vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Sed tamen & ſi tantus eſt in coniugio tum nexus, tum etiam amor,

eſt

est præterea altior quidam gradus, quo Christi charitas omnium coniunctionum, & omnium amorum vim longissime exsuperat, quoniã hæc iustorum multitudo, de qua loquimur, ita cum Christo conglutinata est, vt vnum quiddam nulla ex parte diuisum, aut separatum efficiant. Quæ causa est cur Apostolus, penitus in hæc mysteria ingressus, nos omnes corpus, illum autem caput, & verum caput, appellare non dubitet, qua quidem nulla esse potest maior, arctiorque coniunctio. Sic enim ad Ephesios. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius.* & alio loco, *Vir caput est mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ.* Idemque ad Colossenses. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*, itemque pro corpore eius quod est Ecclesia. De quo etiam Augustinus, vnus homo cum capite, & corpore suo Iesus Christus Saluator corporis, & membra corporis, *duo in carne vna*, & in passione vna, & cum transierit iniquitas, in requie vna.

Ephes. 5
Ephes. 5
Coloss. 1.
Psal. 61.

Cum igitur hoc ita constitutum, & confirmatum sit, Ecclesiam ob tam multas, tamque magnas causas adeo

caram esse Deo, & ab eo tot muneribus donisque profusè ornatam, illud deinde necessario sequitur, nihil Deo gratius ab hominibus fieri posse, quam si ipsi quoque hanc eius sponsam, & hoc eius corpus omni amore, omni studio, omnique obsequio complectantur, & colant. Itaque nec Deus ipse solum se diligi vult, nisi illa etiam simul diligatur, & nos certe hoc illi debemus propter eximia beneficia, quæ in ea, & per eam à Deo accipimus. Sic enim intelligendum est, quicquid gratiæ, quicquid luminis, quicquid spiritualium charismatum in nobis sit, id totum à Deo Ecclesiæ collatum, ab eius sinu in nos peruenire, vt illi secundum Deum, & ortum, & educationem nostram, & omnia spiritualis huius vitæ alimenta accepta referre debeamus. Quam ob causam recte ab Augustino dictum est, *Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam eius: illum sicut patrem, istam sicut matrem:* illum *sicut dominum, hanc sicut ancillam eius, quia filij ancillæ ipsius sumus.* Sed matrimonium magna charitate copulatur, nemo offendit vnum,

Psal. 88. conc. 2.

& pro

& promeretur alterum.

Ex quibus alterum etiam ſequitur, cum Deus quod neceſſe eſt, in tali quaſi theſauro ſuo tuendo, & cuſtodiendo, omnem vigilantiam, curam, ac ſolicitudinem ponat, ſi qui ſint inter homines, quibuſcum ille aliquam huius curæ, ac ſolicitudinis partem communicet, non poſſe eis quicquam vel ad gloriam illuſtrius, vel ad meritum vtilius contingere. Nam ſi honor quæritur, quis maior eſſe poteſt, quam ſocietatem habere cum Deo tanti, & tam præclari muneris? Si fides, quæ maior alicui haberi poteſt, quam in tali, & tam pretioſo depoſito? Atque etiã in hoc ipſo quidam ſunt quaſi gradus. Primum enim ſingulorum qui in Eccleſia ſunt, ſaluti ſtudere, eique operam nauare, magnum eſt ſine dubio, & habet hoc quoque magnam cum Deo ſimilitudinem. Maius eſt tamen non hominum ſingulorum, ſed Ciuitatum, aut Prouinciarum, quod faciunt Epiſcopi, & qui eo loco ſunt. Sed maximum, & præſtantiſſimum ipſius Eccleſiæ vniuerſalis bonum curare, & in hoc bono, quod ſine vlla dubitatione

multo diuinius est ex officio versari. Hoc igitur officium primo quidem loco Summi Pontificis est, generalis omnium præsidis,& pastoris,proxime vero Cardinalium,qui ad hoc facti, ad hoc instituti sunt, vt in hac quasi arce Romana communibus totius Ecclesiæ per totum Orbem fusæ vtilitatibus seruiant. Itaque quoniam huius quidem corporis, de quo paulo ante diximus, Pontifex ipse pro Christo Domino capitis locum in terris obtinet, iure ac merito Cardinales in hoc eodem corpore colli partes tenebunt, qui nimirum gradu, & dignitate proximi,hoc caput,studio, opera, consilio sustentant,& adiuuãt,& ab ipso etiam influxum quendam sapientiæ,& prouidentiæ,nulla media re excipiunt, & in reliquos fideles transfundunt.Quãobrem ipsi quoque hanc Dei tam vberem vineam,hunc hortum concluſum, hanc familiam, hanc etiam sponsam, immo vero hoc ipsius Christi corpus, vti diximus,fouendũ & curandum sedulo susceperunt. Magna omnino dignitas,magnus honor,ac splendor,sed ita vt simul etiam magnam, ac multiplicem

plicem obligationem, & laborem, afferat, cui minus respondere, aut in eo segniorem, remissiorémque se præstare non solum turpe, sed etiam graue, ac periculosum est. Videtur enim in ipsos etiam Cardinales illa Pauli Apostoli cohortatio aptissime cadere, *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Quod enim maius pretium dicere potuit, quam sanguinis, & talis sanguinis, talique modo effusi? Quare hoc iam agendum, vt huius vtriusque rei magnitudo planius ostendatur primum quanta sit Cardinalium dignitas, deinde etiam quod officium, & obligatio. Act. 20.

De origine Cardinalatus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPVT II.

IN rebus omnibus quarum forma, ac natura inuestiganda sit, magnopere confert earum ortum, & initia inspicere. Nam & antiquitas multum affert nobilitatis, ac splendoris, vt videmus

Digitized by Google

familias,quo vetuſtiores, eo illuſtrio-
res eſſe: & certe hoc etiam iuuat ad
quamque rem melius pernoſcendam,
ſi quid ab initio fuerit, & quomodo
inſtituta ſit intelligatur; Fere enim ita
euenit in pleriſque, vt quo longius ab
ortu recedunt, eo magis inueteraſcãt,
& quaſi ſeneſcendo, nitorem ſuum,
vimque amittant. Quare hoc idem fa-
ciendum in Cardinalatu,ſic enim tum
eius dignitas, tum etiam officia faci-
lius eluceſcent, ſi principium pateat
& origo. In primis igitur illud conſtat,
qui nunc Cardinales vocantur, eos
olim Presbyteros, vel Diaconos vrbis
Romæ appellari ſolitos: idque conſtat
tum ex aliis, tum ex Nicena Synodo,
quæ habita eſt Sylueſtro Pontifice, cui
inter cæteros duo ita ſubſcribunt, Vi-
ctor, & Vincẽtius Presbyteri vrbis Ro-
mæ, pro venerabili viro Papa, & Epi-
ſcopo noſtro, Sylueſtro. Ex quo appa-
ret eos Pontificis locum in eo concilio
tenuiſſe, quod munus magnum
eſt, & Cardinalium proprium. Quin
etiam aliquanto poſt, in Synodo à
Gregorio Romæ habita anno Domi-
ni D. XCIV. triginta quinque Sacer-
dotes

dotes ſubſcribunt, omnes ex nomine Eccleſiarum ſuarum. Atque Auguſtinum etiam videmus in diſputatione quadam aduerſus Pelagianos, mentionem facere de Romanis clericis, qui ſub Zoſimo Pontifice Celeſtinum, & Pelagium condemnarant: at hæreticos damnare, non eſt priuatorum clericorum, vt neceſſe ſit eos fuiſſe Cardinales. Quare cum hoc ita ſit, videndum nobis eſt, quod initium fuerit, quis progreſſus Romani Cleri. Primum igitur hoc communi conſenſu receptum eſt, B. Petrum cum Romæ ſedem poſuiſſet, ex omnibus recentibus Chriſtianis probatiſſimos quoſdam elegiſſe, quos manuum impoſitione partim Presbyteros, partim Diaconos ordinauit, diſtributis vtrique ordini ſuis muneribus. Sed cum adhuc exiguus, & incertus eſſet Presbyterorum numerus, Cletus Pontifex à Sancto Petro tertius eos ad quinque, & viginti redegiſſe ſcribitur. Euariſtus deinde qui Pontificatum cepit anno Domini XCVI. ne confuſe adminiſtrarent, parochias diuiſit; vt ſuam quiſque dioceſim noſſet, & in eam ex-

colendam incumberet. Sed hactenus singuli Presbyteri in singulis parochiis, quod satis erat, pro Christianorum paucitate. At Hyginius, qui annum circiter CXL. Romanam tenuit Sedem, aucto iam fidelium numero, plures in vnaquaque parochia Presbyteros alioſque Clericos instituit, quæ Ecclesiæ, siue parochiæ, iam tum ab illo tempore tituli appellari cæpti sunt. Cur autem tituli dicerentur, causam assignat Baronius in suis Annalibus, vel quia quicquid ex prophano ad Ecclesiam adiungebatur, intitulari, vel in titulum transire dicebatur, quod etiam ex quadam Gregorij Epistola intelligi potest: vel quia Presbyteri quibus eæ committebantur Ecclesiæ, singuli à suis Ecclesiis nomen titulumque acciperent, vt iam non ex familiæ cognomine, sed ex sua quisque Ecclesia nuncuparetur. Hi vero tituli frequentius quidem ab eius sancti nomine, cui dicata esset Ecclesia, sumebantur, vt S. Cæciliæ, aut S. Mariæ trans Tyberim: interdum tamen etiam ab iis Pontificibus, qui eos titulos instituerant, vt Iulij, aut Damasi, interdum ab iis qui

2. vol. an. 112.

Epist. 63.

tem

templa ipſa ædificarant, vt Lucinæ, Eudoxiæ, Tigridis,& ſimiles. Quod ſi quis numerum etiam quærat horum titulorũ, iam ante dictum eſt ab Euariſto vigintiquinque inſtitutos eſſe, quibus deinde alij Pontifices alios quoſdam addidere, ſic tamen vt ſemper viginti & octo permanſerint, vſque ad annum circiter M.CCCC.LV. id eſt vſque ad Calixtum Tertium qui vnum addidit, alterum deinde Sixtus Quartus, Leo X. vndecim, tres Iulius III. vnum Paulus Quartus, itemque Pius Quartus, tres poſtremo Pius V. vt omnino noui tituli adiecti ſint vnus,& viginti. Hæc de Presbyteris, nunc de Diaconis pauca dicamus.

Certum eſt igitur iam tum ab initio fere Romanæ Eccleſiæ ſeptem Diaconos Apoſtolorum exemplo, qui ita Hieroſolymis fecerant, inſtitutos, & quidem aliquandiu nullo certo loco, verum quicumque occurrebat locus, in eo promiſcue ſua obibant munera. Quare primus omnium Fabianus Pontifex annum circiter CCXL. Vrbis regiones diſtribuit, ſuamque cuique aſſignauit; de quarum regionum

num partitione, expreſſa eſt mentio in ea oratione quam Gregorius habuit ad populum, peſtilentiæ tempore, quę adhuc extat in eius vita. Ex his autem ſeptem Diaconis vnus erat præcipuus à Pontifice electus, cum Cleri, populique conſenſu, qui Archidiaconus appellabatur, cuiuſmodi fuit S. Laurentius Sixti miniſter. Cum vero tunc quatuordecim eſſent Vrbis regiones, Diaconus quiſque binas adminiſtrabat; poſtea tamen duplicatus eſt hic numerus, vt ſinguli ſingulas haberent, demum etiam adaucto Romanæ Eccleſiæ ſplendore, plures in vnaquaque regione adiuncti Diaconi, ſic tamen vt vnus emineret, alioſque gubernaret. Erant autem in ſingulis regionibus loca certa aſſignata, quæ appellabantur Diaconiæ, nimirum Eccleſiæ Sanctorum nomine dicatæ, in quibus nulla animarum cura gerebatur, ſed alia munera exercebantur Diaconorum propria, de quibus infra dicemus. Atque has quidem Diaconias multis ſeculis ita diſtinctas fuiſſe accepimus, à Presbyterorum titulis, vt neque titulus vllus Diacono, nec Diaconia

Presby

Presbytero traderetur. Quæ deinde ratio quomodo confusa fuerit, omnisque propemodum sublata distinctio, dicetur à nobis paulo inferius. Verum hæc quidem posteriora. Quare redeamus ad priora illa tempora, quibus, vt dictum est, quatuordecim tantum fuere Diaconi, pro numero regionum, quibus quoniam erant assignati, ideo Regionarij vocabantur. Postea vero quatuor additi, qui Pontifici assisterent, eique sacrificanti seruirent, quam ob causam dicti sunt Palatini. Quare decem iam & octo Diaconi esse cœperunt.

Restant nunc Episcopi Cardinales, qui ex vrbibus Romæ finitimis selecti, & hoc quasi priuilegio insigniti sunt, vt soli inter Episcopos Cardinalium nomen obtinerent, frequentius Summo Pontifici adessent, atque ei quodammodo assisterent. Hi vero nunc quidem sex tantummodo: alias vero septem fuisse comperimus. Nam præter eos, qui iam sunt Episcopatus vnus etiam commemoratur Syluæ candidæ vsque ad Calistum II. circiter annum M. C X X. quo tempore cum illa

illa Ciuitas crebris Barbarorum incursibus disiecta, & incolis exhausta esset, adiúcta est ea Ecclesia Portuensi, cuius tunc Episcopus erat Petrus Romanus. Atque ex eo sex tantum fuere Cardinales Episcopi, nisi quod aliquando peculiares causæ aliquas Ecclesias coegerant adiungi, quibus causis cessantibus, reditum est ad húc eundem numerum: vt non ita pridem Leone X. Pontifice cum Bernardino Caruaiali, & Gulielmo Brisonettæ, vtrique Episcopo Cardinali, quos Iulius II. deposuerat, dignitatem restituisset, duas Episcopales Ecclesias adiunxit, Reatinam, & Tiburtinam: sed ea causa sublata, eodem Leone viuente, vtraque Ecclesia Cardinalis esse desiit. Idem autem alias etiam vsu veniisse legimus, vt cum sub Leone Nono Veliterna, sub Vrbano II. Nepesina, & aliæ alias additæ sunt. De his igitur Cardinalibus Episcopis hoc quoque inter cætera accepimus, quemadmodum Presbyteri Cardinales in reliquis quatuor Patriarchalibus Ecclesiis Romæ ideo institutis, vt vniuersam Ecclesiam in vna Vrbe repræsentarent,

tarent,ſuis quiſque diebus, ſacra peragebant, ſeptenis titulis in ſingulas Eccleſias diſtributis; ita Epiſcopos Cardinales in Eccleſia Lateranenſi, vbi Pontificia ſedes fuit vſque ad Gregorij XI. reditum, Auinione, ſingulos ſuis diebus per vices in ara maxima miſſas celebrare ſolitos, modo præſente,modo abſente Pontifice. Quod apparet ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui in vita Stephani Papæ, quẽ creatum conſtat anno DCCLXVIII. expreſſam facit mentionem de Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis. Sic enim eos appellat. Quare hunc etiam ordinem fuiſſe accepimus, vt Dominicus dies Oſtienſi tributus eſſet, proximus Epiſcopo Cardinali Syluæ candidæ, tertius Portuenſi, reliqui deinceps Sabino, Prænestino, Tuſculano, Albano. Nec dubium eſt quin id ad Pontificis dignitatem inſtitutum eſſet, vt ſicuti aliis Eccleſiis Presbyteri Cardinales, ita huic vni Epiſcopi Cardinales deſeruirent. Atque hi quidem Epiſcopi etiamſi Pontifici proximi,& Cardinales dicti, tamen multo tempore nihil præcipui præ aliis Epiſcopis habuere, neque

neque eos vel dignitate, vel seſſionis ordine præibant, niſi forte antiquiores, ordinatione eſſent, quod aliis quoque commune eſt. Sed eorum dignitas vna cum aliorum Cardinalium tempore adaucta eſt, ob eas cauſas quas ſuo loco exponemus.

Ex his igitur omnibus cõſtat, etiamſi Cardinalis nomen in veterum monumentis rariſſimum ſit, rem tamen ipſam, & dignitatem antiquiſſimam eſſe, ſempérque in Romana Eccleſia retentam. Itaque nec de Laurentio dubitatur, vt antea diximus, quin Diaconus Cardinalis fuerit, & multo ante Laurentium quidam putant ex hoc numero extitiſſe etiam Linum, & Cletum, & Clementem, qui Beato Petro Conſiliarij, & adiutores erant. Sunt etiam qui B. Hieronymum inter Cardinales reponant, eo ducti argumento, quod vt ipſe de ſe narrat, Damaſum iuuerit in Epiſtolis ſcribendis, idque tum alij fere omnes ſenſere, tum præſertim Alphonſus Diaconus, qui de hoc integrum libellum edidit; ſed id quidem argumentum ſatis infirmũ eſt, quoniam ſcribendi munus non ita

Epiſt. 11.

pro

proprium est Cardinalis. Quare illud firmius in partem contrariam, quod licet Romæ aliquandiu fuerit, non tamen Romanæ Ecclesiæ Presbyterum fuisse constat, sed Antiochenæ, quod ipse aperte in Epistola quadam profitetur. *Epist.* 61.

Postremo quod ad nomen ipsum attinet, non est dubium quin Cardinalis idē sit quod præcipuus, ac principalis. Itaque & venti Cardinales, itemque virtutes quædam Cardinales communi, & vsitato more appellantur. Quare non Romæ solum, sed alibi quoque in Cleri ordine, hoc Cardinalium nomen vsurpatum est. Ex quo illud est, quod in Concilio Meldensi *Cano.* 54 statuitur, vt Episcopus titulos Cardinales in vrbibus, vel suburbiis constitutos ordinet, atque disponat. Extatque Gregorij Epistola ad Fortunatum *Lib.* 5. Episcopum Neapolitanū, qua ei Gra- *Epist.* 11. tianum quendam concedit, quem in sua Ecclesia Diaconum Cardinalem instituat. Idemque in alia Epist. Ioan- *Lib.* 11. nem Episcopum Syracusanum mo- *Epist.* 34. net, vt Cosmum Subdiaconum Presbyterum faciat Cardinalem. Quod

cum

cum ita esset, vt vel in omnibus, vel in plerisque Ecclesiis sui essent Cardinales, tamen hoc deinde consuetudo obtinuit, vt in sola fere Rom. Ecclesia excellentiæ causa id nomen remaneret, Romæ autem vnde hoc nomen fluxerit, non satis compertum est. Plerique & certe omnes quos viderim vno consensu, ita dictos putant, qui singulis in titulis præerant reliquis Presbyteris, vel in Diaconiis præerant aliis Diaconis, qui etiam alio nomine Archipresbyteri, & Archidiaconi dicebantur. Hoc enim indicare videtur nomen ipsum Cardinalis, quod vt paulo ante diximus, idem est quod principalis. De Episcopis autem quoniam hi aliis Episcopis non præerant, reddit Onuphrius aliam causam, prius quidem id introductum ex similitudine Presbyterorum, qui aliis Ecclesiis Patriarchalibus seruiebant. Vt enim hi Cardinales Presbyteri vocabantur, ita, & multo magis decuisse, vt Episcopi qui Pontificiæ ipsi Ecclesiæ seruirent, Cardinales Episcopi vocarétur. Deinde vero adaucto Cardinalium splendore, verius etiam ita appellatos, non

Lib. de Epist. tit. Diac. Card.

qui

qui aliis Episcopis præessent, sed quia præcipui essent inter alios. Ab his dissentit Bellarminus noster, idque ob hoc præsertim argumentum, quod in illa Gregorij Synodo, de qua ante diximus, quæ extat inter eius Epistolas, cum trigintaquinque subscribant Presbyteri, qui omnium concessu sunt Cardinales, eiusdem tamen Ecclesiæ bini subscribunt, vt Sancti Syluestri, Damasi, Balbinæ, & aliarum. Eius igitur hæc est sententia, Cardinalis nomen loco primum impositum esse, deinde à loco deriuatum ad personam. Putat enim ex Ecclesiis ipsis aliquas fuisse, quæ Cardinales dicerentur, in quibus baptismus, & alia sacramenta conferebantur, idque vt discrimen esset ab aliis Ecclesiis minus præcipuis, in quibus illa non fiebant. Sic etiam inter Diaconias, fuisse quasdam magis insignes, in quibus qui residebant etiam si plures, appellatos esse Diaconos Cardinales. Eademque ratio est de Episcopis Cardinalibus, quod nomen tributum est sex illis ciuitatibus Romanæ vrbi proximis. Atque huic quidem

Vol. 1. Lib. 4. c. 88.

ſententiæ valde congruit, quod paulo ante ex Meldenſi Concilio allatum eſt.

Nunc illud videndum quod ſupra attigimus, antiquiſſimum fuiſſe morem, vt ſuam Cardinalis quiſque teneret Eccleſiam, nec eam dimitteret. Nam quamcunque Diaconus Diaconiam, aut Presbyter titulum, vel Epiſcopatum Epiſcopus accepiſſet, eam deinde tanquam ſtationem perpetuo ſeruabat, niſi forte vel Diaconus ad Sacerdotium, vel Presbyter ad Epiſcopatum aſcenderet. Quod ſi contingeret, in eo quidem loco, in quo ſemel poſiti eſſent, deinceps tota vita permanebant. Prima autem occaſio huius moris immutandi fuit ex eo ſchiſmate quod Vrbano Sexto Pontifice ortum, in Concilio demum Piſano quoquo modo ſopitum eſt. Nam cum vtriuſque factionis Cardinales ad vnũ corpus rediſſent, quoniam ita acciderat, vt iidem tituli, iidemque Epiſcopatus à duobus diuerſarum partium Cardinalibus tenerentur, placuit Alexandro Quinto, qui tunc electus eſt Põtifex, eos qui Vrbani partes ſequuti fuiſ

fuiſſent, ſuis Eccleſiis dimiſſis, alias vacantes accipere. Quod cum eo quidem tempore honeſta, atque etiam neceſſaria ratio induxiſſet, poſtea vt fit, nulla neceſſitate retentum eſt, dum Cardinales tenuem titulum, vel Epiſcopatum pinguiori mutare ſtuderẽt. In quo primum fuiſſe tradunt Iordanum Vrſinum, ſub Alexandro V. qui S.Martino in montibus relicto, S.Laurentium in Damaſo tum vacantem impetrauit; idemque deinde ab Eugenio Quarto relicto Epiſcopatu Albano, Sabinũ obtinuit, eiuſque exemplo Antonius Corarius dimiſſo Portuenſi ab eodem Eugenio Oſtienſem, quia opulentior erat conſequutus eſt, quod idem alij deinde fecere. Sed rarius adhuc, & parcius, vſque ad Sixtum Quartum, qui non ſolum huiuſmodi mutationes crebrime vſurpauit, ſed etiam quod nunquam antea factum fuerat, Diaconias Presbyteris, titulos Diaconis aſſignare non dubitauit. Verum hoc quodcumque erat, totum arbitrio Pontificis gerebatur, cum ſcilicet is volebat, & quibuſcum volebat. Poſtea vero ita inoleuit, vt

iam consuetudo vim legis obtinuerit, sitque liberum Cardinali cuiuis, proximum sibi titulum, vel Episcopatum, cum vacat, optare: sic enim loquuntur: id est eligere, & se in eum transferre, hoc excepto, si quis forte abesset, non ob Ecclesiæ vtilitatem. Lex enim est, vt absentis ratio nulla habeatur. Quin etiam hoc interdū retentū à Pontificibus, vt Diaconos aliquos, præsertim antiquiores, ad superiorem ordinē, gradu non seruato, prouehant, vt Paulus Quartus qui Franciscum Pisanum Albanensem Episcopum, Clemens Septimus Marcum Cornarum Archipresbyterum fecit, à quibus vterque, vt Archidiaconis, fuerat coronatus. Sed in hac optione, ob tam crebram mutationem, illud inesse solet incommodi, vt Cardinales Ecclesias sibi cōmissas non fere ament, aut curent, tanquam proprias, quas nimirum putent se prope diem relicturos; ex quo fit vt multa quæ ad Ecclesiasticum nitorem, Deique cultum pertinent, negligantur, & pereant.

Extremo loco si quis etiam de veterum Cardinalium numero quærat,

ne id quidem difficile eſt colligere ex titulorum numero, quos ſupra diximus octo & viginti fuiſſe, quibus ſi decem & octo Diaconos, ac denique ſeptem Epiſcopos qui antiquitus erãt, addamus, iam apparebit fuiſſe ſemper olim tres,& quinquaginta. Atque hic numerus ad Honorium vſque ſecundum anno Domini M.C.XXV. durauit, à quo tempore ſenſim minui cœptus,cum in demortuorum locum nemo ſubſtitueretur, ſed eorum tituli, vel ab Archipresbytero, vel ab altero Cardinali,Pontificis iuſſu,adminiſtrarentur. Itaque incertus ac varius eſſe cœpit Cardinalium numerus vſque ad annum M. CCLXXVI. quo tempore ad Nicolai Tertij electionem ſeptem tantum Cardinales affuiſſe legimus. Ab eo vero tempore rurſum reflorescere,& augeri cœpit, ita vt Bonifacio Octauo ſedente, eſſent iam Cardinales viginti,neque tamen vſque ad Sixtum Quartum trigeſimum attigerunt, cum in Conſtantienſi Synodo cautum eſſet, ne plures eſſent, quam viginti-quatuor.Sixtus trigeſimum ſupergreſſus eſt, Alexander vero Sextus fere ad

quinquageſimum perduxit: at Leo X. cum vna vice vnum & triginta creaſſet, vſque ad ſexageſimum quintum Paulus Quartus quinque amplius addidit. Pius Quartus vſque ad ſextum & ſeptuageſimum: quo nunquam ante peruentum erat, neque poſtea peruentum eſt. Poſtremo Sixtus Quintus recentiſſime numerum ſeptuageſimum definiuit, inſtar illorum, vt ipſe ait, ſeptuaginta ſeniorum, quos
Num. 11. Dominus Moyſi adiutores dedit, in quos tanti oneris partem deriuaret.

De excellentia, & dignitate Cardinalatus.

CAPVT III.

NVnc ſequitur vt videamus, quã magna, & excellens ſit hæc Cardinalium dignitas, quod etſi minime obſcurum eſt, quin potius ita apertum, vt ea etiam cauſa ſit, cur hic honor vulgo tam auide expetatur, nobis tamen aliquid in hoc genere magis ſolidum, & reconditum afferendum eſt,

est, nec sine fructu. Nam hoc dignitatis fundamento posito, facile erit deinde argumentari, quos mores, quam vitam, eiusmodi locus postulet. Primum igitur hoc ponendum est, quod maxime ad rem nostram facit, cum inter homines duo sint dignitatum genera, vnum sæculare, & laicum, alterum sacrum, & Ecclesiasticum, nullam esse posse dubitationem, quin hoc longe illi antecellat, quæcumque & quantacumque sit sæcularis dignitas, etiam si regia. Sic enim B. Gregorius, *quis dubitet*, inquit, *Sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumque fidelium patres, & magistros censeri?* Neque obscura est huius rei ratio. Est enim altera dignitas spiritualis, altera terrena, & humana. Quare quanto spiritus nobilior est corpore, tanto spiritualia temporalibus; vt Innocentius Pontifex ad Imperatorem ipsum scribit. De quo etiam Nazianzenus ad laicos Principes. *Lex Christi sacerdotali vos subiicit potestati, atque hisce tribunalibus subdit.* Dedit enim & nobis potestatem, dedit principatum multo

Lib. 8. Epist. 21.

c. solite demaior. & obed.

Orat. ad Ciu.

perfectiorem principatibus veſtris. An vero iuſtum vobis videtur, ſi cedat ſpiritus carni, ſi à terrenis cœleſtia ſuperentur, ſi diuinis præferantur humana? Apparet hoc etiam ex ipſo fine. Nam vtraque ſane poteſtas populorum bono conſulit, quod in hoc conſiſtit, vt viuant ex virtutis regula: ſed hoc intereſt, quod ſeculari propoſitum eſt bonum morale, quod eſt naturale, ſpiritualis autem aliud quoddam bonum curat, quod eſt multo altius, & excellentius, nempe ſupra omnem naturam. Iure igitur ob hanc, quam dixi, & ob alias etiam cauſas, illa à Chryſoſtomo in hanc ſententiam dicta ſunt, *Sacerdotium principatus eſt ipſo etiam regno venerabilius, & maius.* Nec mihi obiicias purpuram, neque diadema, neque veſtes aureas; Vmbræ ſunt iſta omnia, & floſculis leuiora. Pergit deinde pluribus vtrumque comparare, quoniam quicumque eſt ille Regis ſplendor ex auro, & potentia, totus eſt in rebus terrenis. At Sacerdoti, inquit, thronus in cœlis collocatus eſt, & auctoritatem habet iudicandi de cœleſtibus negotiis.

Hom. 5. vidi Domin.

tiis. Quis hoc dicit ? Ipſe cœlorum rex. *Quæcũque ligaueritis ſuper terram,* Matt. 18 *erunt ligata & in cœlis.* Quid cum hoc honore conferri poſſit ? Hæc Chryſoſtomus. Quare hoc poſitum eſſe debet, Eccleſiaſticam dignitatem ipſo genere, ita præſtare laicæ, vt ne ſit quidem comparatio. Quod ſi hoc valet in omni Eccleſiaſtica dignitate, quid de ea dicemus, quæ inter ipſas Eccleſiaſticas præcipuum tenet locum ? Tales ſunt igitur Cardinales, quos Sanctus Bernardus appellat ſeniores populi,iudices orbis.D. Antoninus autem, cuius teſtimonium eo pluris faciendum, quod vt Theologus, nihil loquitur augendi gratia, aperte Principatum dignitatis in Eccleſia,poſt vnum Pontificem, Cardinalibus tribuit. Idemque ſentit Turrecremata haud minor Theologus, qui ait,*eos excedere dignitate omnes Eccleſiaſticas dignitates*, redditque hanc rationem, quia ſunt membra Papæ, & vna perſona cum illo. Valdenſis etiam magnæ vir auctoritatis, cum alia multa de Cardinalibus tradit, tum hoc, non modicum iuris ha-

Lib. 4. de con. 3. p. tit. 21. c. 2.

Lib. 1. de eccl. c. 81.

Lib. 2. doct. fid. ant. 54.

bere eos in orbe, ſed quem locum, ac munus tenuit Aaron, & Vr apud Moyſem, tenere eos apud Pontificem, ipſiſque datum eſſe in conſpectu primæ ſedis facere iudicium,& iuſtitiam in terra, & orbis Pontificem præmunire conſiliis. Quod etiam confirmant duo inſignes viri, & Pontificij iuris peritiſſimi, Hoſtienſis, & Ioannes Andreas, cuius vtriuſque illa ſunt verba, *Excepto Summo Pontifice, nullum eſſe maiorem gradum.* Iacobatius etiam doctrina excellens, dignitate ipſe Cardinalis ita docet quodam loco,tum ob alias rationes, tum ob eam, quam modo attulimus, quia ſunt vnum corpus cum Pontifice, & quia vniuerſæ Eccleſiæ conſulunt, non ſolum Romanæ. Videmus etiam quam de iis honorifice loquatur B. Hieronymus iam tum ſuo tempore, *Eccleſia*,inquit, *Senatum habet presbyterorum, ſine quorum conſilio nihil Monachis agere licet.* Senatum quoque Romani habebant,cuius conſilio cuncta agebant,& nos habemus Senatum noſtrum, cœtum presbyterorum. Extat etiã Cõſtantini illius Magni, magnum

In c. dilectus de præben. Lib. 1. de concil. nu. 118.

In 3. cap. Eſaiæ.

de

de hoc ipso testimonium, quo huius ordinis amplitudinem confirmat, atque ipse insuper auget pro potestate, *Viris*, inquit, *Reuerendissimis Clericis in diuersis ordinibus Romanæ Ecclesiæ seruientibus illud culmen singularitate, potentia, & præcellentia habere sancimus, cuius amplissimus Senatus noster gloria adornari, id est, patritios, & consules effici, nec non & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari.* Quid magnificentius dici poterat, præsertim ab Imperatore totius orbis? Nam quod eos patritios facit, ea vero summa fere erat dignitas post Imperatoriam. Quod etiam ex eo cognosci potest, quod cũ anno Domini DCCLXXIII. Hadrianus Primus Pontifex vna cum Concilio summos omnes honores excogitaret, quos Carolo Magno Gallorum Regi, ob Ecclesiam liberatam, decerneret, hoc in primis tribuit, vt eum patritium Romanum faceret: idemque ducentis viginti post annis, Henrico Secundo Imperatori, ob magna eius merita, honoris causa, tributum est. Nihil mirum igitur, si cum ad tantum splendorem prouecti sint, vere etiam *c. Cõstan d. 96.*

Con. vlt. Principes vocantur, vt est apud Archidiaconum in quodam consilio, quin etiam dicuntur regibus æquiparari, quod nec temere, nec adulatorio more dictum est, sed à præcipuis viris, & Iurisconsultissimis. Sic enim Iason, sic Paris Puteus, sic etiam Hieronymus Manfredus in eo libro, quem scripsit de Cardinalibus. Addit etiam Conradus Laudensis, hanc esse causam, cur purpuram induant, more regum, vt quemadmodum dignitate, sic etiam corporis cultu & ornatu, regibus æquentur. Atque ex hac dignitatis eminentia illa quoque sine dubio consequuntur, quæ sacri Canones pro Cardinalium salute, & auctoritate tuenda statuerunt, cum etiam qui eos læserint, reos læsæ Maiestatis decernant, & alias pœnas addant solo auditu horribiles. Quo etiam illud vel maxime pertinet, quod in Romana Synodo à Syluestro habita sapienter constitutum est, vt Presbyter Cardinalis non nisi quatuor, & quadraginta testibus condemnetur, Diaconus autem Cardinalis octo, & viginti. Quę enim alia huius tanti priuilegij causa,

In l. Cẽsurio. ff. de vulg. & pup. *Dec. 56.* *Lr. 2. tẽp. Iud. c. 2.* *Lib. de fũdi. decis. 36.* *c. felicis de pœnis in 6.* *2. q. 5. c. Præsul.*

nisi

Digitized by Google

niſi vt ait S. Thomas, propter eorum dignitatem,& quia tales exiſtimentur eſſe,vt plus eorum ſanctitati credatur, quam multis teſtibus. 2.2.q.70. *art.* 2. *ad* 3.

Sed illud vere maximum, ac ſummum in hoc genere dignitatis, quod Cardinales Apoſtolorum locum in Dei Eccleſia tenent. Non enim dubitari poteſt, quin in Sancta Eccleſia primus, & Princeps locus Apoſtolis ſit tribuendus,de quibus dictum eſt in pſalmis. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*,& qui etiam à Paulo *fundamentum huius domus*,& à Ioanne, *ſupernæ illius Ciuitatis portæ appellantur*. *Pſal.* 18. *Eph.*2. *Apoc.*21. Quare nihil magis inſigne, aut honorificum vlli homini contingere poteſt, quam hunc tam honoratum locum quaſi hæreditario iure conſequi. Sic enim duo præcipui tum doctrina,tum ſanctitate auctores, D. Antoninus, & Turrecremata iiſdem pene verbis.Duplicem enim faciunt Apoſtolorum ſtatum, duplicemque reſpectum ad Chriſtum Dominum, ac Saluatorem: alterum,cum adhuc viuenti, & in terris verſanti aſſiſtebant,& præſto erant ad omnia, quod idem etiam poſt eius *3.p.tit.*21 *c.*2. *Lib.*1. *de Eccleſ. c.* 30.

ad cœlos aſcenſum, aliquandiu fecerunt erga Petrum, qui Chriſti gerebat
Act. 1. & 15. vices. Sic enim in actis legimus, conſilio, & opera ei affuiſſe, dum adhuc coniuncti Hieroſolymis degerent. Alterum vero ſtatum perhibent, cum poſt Spiritum ſanctum receptum, profecti ſunt in omnes terras, ad Euangelium diſſeminandum, ad populos fide imbuendos, atque inſtituendos, neque id temere, aut ſine ordine, ſed prouinciis ſortitis, atque inter ſe diſtributis. Sic igitur cum Romanus Pontifex Petri Succeſſor ſit, & Chriſti Domini perſonam ſuſtineat, nimirum conſequi aiunt, vt ipſi quoque Cardinales Apoſtolos referant, priore illo modo, Epiſcopi vero, qui ſinguli ſingulis præſunt, vel ciuitatibus, vel prouinciis, poſteriore. Quare de Cardinalibus illud dici poſſe, quod eſt in
1. Reg. 2. ſacris litteris, *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Hanc enim terram tam late patentem, ita firmam, & fixam, & quæ homines omnes & ſuſtineat, & alat, eſſe Eccleſiam, eius autem cardines, vt nomen ipſum admonet, eſſe Cardinales, quare ipſos quoque

quoque Principes esse mundi. Hæc omnia patres illi quos dixi.

Sed quoniam ita dictum est, Episcopis etiam hunc honorem communem esse,vt ipsi quoque Apostolorum Successores dicantur, ideo hoc etiam videndum, an aliqua ex parte Cardinalium primatum imminuat. Igitur si inter hos comparatio facienda est, profecto si ordinem, & ordinis potestatem spectemus, maior est Episcopus. Hic enim Sacerdotes consecrat, confirmat baptizatos, & alia eiusmodi facit,quæ non potest Cardinalis. Idemque sentiendum si spectemus iurisdictionem ferendi leges, puniendi, dispensandi, indulgendi, quæ item non licent Cardinali,quoniam nullam habet dioceſim. Itaque ex hac sane parte, maius aliquid habent Episcopi: quæ etiam causa est,cur Summus Pontifex veteri more Episcopos quidem venerabiles fratres appellet,Cardinales autem dilectos filios; quoties scilicet singulis loquitur,vel scribit:nam cum vniuersos alloquitur, tum communiter fratres vocat, propter admixtos Episcopos. At vero si vniuersalis Ec-

cleſiæ gubernationem reſpiciamus, ſine vlla dubitatione, maior eſt Cardinalis,nõ modo Preſbyter, ſed etiam Diaconus, quam quiuis Epiſcopus. Addo etiam quam quiuis Patriarcha, quoniam Cardinales Pontificem iuuant in Eccleſiæ gubernatione, in negociis conſilio expediendis, & opera exequendis:quare ipſi quoque ex bona parte hanc Eccleſiæ totius adminiſtrationem attingunt; Itaque S. Bernardus de Cardinalibus diſſerens ad Eugenium, *An non*, inquit, *eligendi de toto orbe orbem iudicaturi?* Immo vero ab his etiam aliquo modo ipſorum Epiſcoporum pendet electio, quoniam non ſine ipſorum conſilio res geritur,nec ſolum eligunt hoc modo quem dixi, ſed eos etiam iudicant, & deponunt cum opus eſt,quod Epiſcopi non faciunt, nec facere poſſunt in Cardinales.Itaq; priſcis ſane tẽporibus Epiſcoporum dignitas maior erat, quã Cardinaliũ:idque tum ex multis aliis, tũ ex eo potiſſimũ conſtat, quod & in conciliis,adhuc eorum extant nomina priori,ac digniori loco ſubſcripta. Et in vita S.Gregorij, ita memoriæ tradi-

Lib. 4.

Lib.1.c.7

tum

tum eſt, eum ex Cardinalibus conſueuiſſe facere Epiſcopos. Atque hoc quidem illis, vt dixi, temporibus, poſtea vero mutata ratio, ac tanta Cardinalibus facta eſt ſplendoris acceſſio, vt ſi abſolute loquendum ſit, non modo in hac Eccleſiæ forma, quam nunc videmus, ſed à multis iam ſæculis, magno interuallo Epiſcopalem ſuperent dignitatem. Huius autem acceſſionis ea fuit cauſa, quoniam Cardinales ſolitum ad Pontificum conſilia, tum etiam ad Pontificis electionem adhiberi cœpti, atque etiã ex ipſis fere ſolis Põtifex eligi. Sic enim Sigonius diligens hiſtoricus narrat anno iam tum DCCLXXIX. in Concilio, quod Stephanus Tertius Romæ habuit, hoc etiam conſtitutum, vt deinceps niſi Presbyter, aut Diaconus Cardinalis nemo Pontifex fieret, quod etſi nõ ſemper omnino ſeruatum eſt, quoniam alios etiã plures factos videmus, tamẽ ſatis ex hoc apparet quãta vel eo tempore Cardinaliũ ratio haberetur. Atque idem Sigonius alibi ita ſcribit, cum Romani Põtificis creatio Cardinalibus præcipue permiſſa eſt, quod

Lib. 3. de Reg. Ital

Lib. 3.

fuit

fuit anno Domini M. LIX. eorum nomé cœpisse magis ac magis in Ecclesia celebrari. Quá in sententiá, Petri quoque Damiani, qui hoc tempore vixit, fuitque ipse Cardinalis Ostiensis, ex quodam eius libro dictum affert. Romani inquit, Cardinales, Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogatiuis, nõ modo quorũlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatum iura transcédunt. Saluo quippe vniuersalis Ecclesiæ Sacramento, isti sunt oculi vnius capitis, ipsi lucerna huius cãdelabri. Hæc ille. Sed habemus etiam luculentum de hoc ipso testimonium ipsius Pontificis Eugenij Quarti in litteris quibusdam, quas ille ad Henricum Cantuariensem Archiepiscopum eo ipso tempore scripsit, cum Florentiæ generale Concilium haberet, scripsit autem ob hanc ipsam occasionem, quod ille de priore loco cum Ioanne Presbytero Cardinali litigaret. In his igitur literis, multas causas affert, cur eum iniuste agere dicat, multaque addit ad Cardinalatus dignitatem omnibus dignitatibus præferendam, quia

Archie

Archiepiſcopus ſuæ tantum diœceſis vtilitati ſeruiat, at Cardinalis publicæ totius populi Chriſtiani, ille vnam priuatam duntaxat regat Eccleſiam: hic vna cum Sede Apoſtolica vniuerſas; & cum Cardinales à nemine niſi à Summo Pontifice iudicentur: ipſi tamen ſimul cum Pontifice omnes Eccleſiæ gradus diiudicent. Denique ex illo Stephani decreto, de quo paulo ante diximus, hoc quoque confirmat, hos qui nunc Cardinales appellantur, extitiſſe etiam Petri tempore, licet alio nomine. Hæc ille omnia, & alia cõplura. Sunt enim prolixæ literæ, eaſque videre eſt apud Iacobatiũ. *c. oportebat. d. 32.* *Lib. 1. de concil. num. 252.*

Cõcludamus igitur, & cum Turrecremata, de quo ſupra diximus, huic tam eximiæ dignitati, atque excellentiæ in Dei domo, quæ eſt Eccleſia, applicemus locum illum ex Apocalypſi, in quo auguſtiſſima quædam ſedes deſcribitur, & in eius circuitu ſeniores multi. Hoc n. ſolium, ac tribunal, ille Apoſtolicam Sedem eſſe interpretatur, in qua Deus reſidet, nempe Dei Vicarius, qui eius poteſtatem, ac perſonam gerit. Sedilia vero viginti *Apoc. 14*

quatuor seniorum, Cardinales ipsos significare, qui seniores vocentur propter iudicij, morumque maturitatem, ijdemque sedere dicantur, ob animi tranquillitatem, omnibus videlicet turbulentis motibus sedatis, qui etiam stolis albis amicti describantur, quoniam eiusmodi vestes longæ, & quæ totum contegant corpus, candorem, & puritatem totius vitæ indicent. Quæ vestium mentio admonet me, vt etiam hoc extremo loco aliquid de Cardinalium habitu, cultuque attingam. nam hic quoque quoniam ad externam quandam maiestatem compositus est, non alienus videtur ab hac dignitate quam tractamus. Eius autem initium factū accepimus ab Innocentio Quarto, anno salutis MCCXLVI. cum statuisset vt Cardinales omnes rubro galero vterentur. Insuper etiam in publicum procederent equo vecti. Ex quo sane apparet antea pedibus ire consueuisse, quod vnum reliquā quoque tenuitatem, ac simplicitatem illorum temporum indicat. Postea vel Bonifacius VIII. vt ait Hieronymus Albanus, vel vt plures tradūt, & in primis Platina,

Lib. de Card. q. 8.

Platina,Sabellicus,& Volateranus cõfirmant, Paulus Secundus anno M. CCCC.LXIV. reliquas veſtes purpureas,cæterumque ornatum adiecit. Atque ex eo quoque tempore aucta eſt huius Magiſtratus amplitudo, vt internæ eius dignitati, hæc etiam externa ſpecies reſponderet. *Aeneas. 9.lib.6.*

De primo officio Cardinalium ratione ordinis.

CAPVT IV.

QVæ hactenus de Cardinalatus præſtantia,eaque præſertim tam eminenti,dicta ſunt,facile, niſi fallor, omnibus arridebunt,& ab iis maxime, qui in hac dignitate ſunt, libenter accipientur. Eſt enim hominibus natura inſitum, vt inter alios excellere velint, & ſummos quoſque honores, & gradus appetant, & quo ij maiores, eo magis gaudeant. Sed videndum nunc eſt,hic honor,& hic gradus,quæ requirat officia. Atque hoc quidem multo diligentius, & attẽtius cogitandum

dum eſt Cardinali, quam illa, quæ ad amplitudinem ſuam pertinent, in quibus vix eſt aliquis ſolidus fructus, hic autem vel maximus. Nihil enim iniuſtius, Frater Illuſtriſſime, quam cum artem aliquam profitearis, vel neſcias quæ ars illa exigat, vel ſi ſcias, nihil labores vt ea præſtes, & exequaris. Quod ſi Medicum, aut Iuriſperitum pati non poſſumus, qui id præ ſe ferat, in quo ſit rudis, quanto magis hoc idem reprehendendum eſſet in Cardinali, qui in arte tanto maiore, ac nobiliore verſatur? Itaque quo maius eſt, quod hic promittit, eo ſi fallat minus eſt dignus venia, immo etiam maiori dignus pœna. Quare hoc iam vt dixi, videndum, quæ ſint huius Magiſtratus officia. Sunt autem triplicis generis, primum, quod ſingulis Cardinalibus conuenit propter ordinem, in quo quiſque eſt; reliqua duo omnibus communia; alterũ in Pontifice eligendo, alterum in eodẽ adiuuando. nam cum ſupra dictũ ſit, tres eſſe Cardinalium claſſes, quoniam alij Epiſcopi, alij Presbyteri, alij Diaconi, habent ſinguli ſua munera, eadem videlicet, quæ alij

etiam

etiam Episcopi, Presbyteri, Diaconi. Et quidem quod attinet ad Episcopos, hoc etiam intelligendum est, morem olim fuisse in Ecclesia, eumque diutissime seruatum, vt non alij essent Cardinales Episcopi, quam illi, septem prius, postea vero sex, qui ob locorum propinquitatem, simul & Pontifici adesse, & suo tamen gregi non deesse poterant; alij vero aliarum ciuitatum Episcopi, nunquam ad Cardinalatum promouerentur. Cuius ea causa erat non solum ne pastoralem curam desererent, sed etiam, quia aliquandiu, & quidem multo tempore, vt supra ostẽdimus, maior erat dignitas Episcoporum, quam Cardinaliũ. Itaque potius ex Cardinalatu gradus erat ad Episcopatum, quam contra. Verum adaucta deinde Cardinalium maiestate, mutata ratio est, vt ex Episcopis, & quidem libenter, fierent Cardinales. Cuius quidem initium Iacobatius ad Clementem V. refert, scribens, Bonifacium Octauum ob hanc causam multos non feciisse Cardinales, cum id ipse optaret illique aptissimi essent, idque ipsum miratur, quomodo

Lib. 1. de concil. n. 121.

hoc

hoc illius hominis alioquin acutiſſimi ſolertiam fugerit. Quod ſane nos miramur, ab hoc auctore dici, cum certum ſit, eum vſum aliquanto ante Clementem introductum, nimirum circiter Alexandri Tertij tempora. Tunc enim Eccleſiæ temporalis dignitas, magnopere illuſtrata eſt, cum Federicus Ænobarbus Imperator, fractus, atque Pontifici ſubiectus eſſet. Quare, quod quidem ſcriptis extet, primus omnium Conradus Archiepiſcopus Moguntinus Cardinalatu ornatus eſt, idque hac occaſione, vt quoniam à Federico ipſo ſua ſede eſſet exactus, compenſatione quadam fieret Epiſcopus Sabinus Cardinalis: qui deinde ſchiſmate ſublato, ſuæ reſtitutus Eccleſiæ, nihilominus Sabinam retinuit. Ex quo deinde cœpti ſunt alij quoque Epiſcopi ad Cardinalatum euehi, verum hactenus quidem ad Epiſcopatus Cardinales tantummodo, id eſt, ad vnum, è ſex illis, qui forte vacaret. Breui tamen illud etiam obrepſit, vt ex Epiſcopis non Cardinalibus, fierent Presbyteri Cardinales quod à Clemente III. qui

paulo

paulo poſt Alexandrum extitit, factum ſcimus, in Epiſcopo Viterbienſi, itemque in Ariminenſi. In qua re vſque ad Clementem Quintum ſatis parce progreſſi ſunt Romani Pontifices. Hic vero multo liberius id factitare cæpit, vt iam vix vllus Cardinalis crearetur, qui non vnum, interdum etiam plures Epiſcopatus haberet. Sed hoc ſeruabant, vt Epiſcopi nomine depoſito, perpetuos ſe Eccleſiarum adminiſtratores appellarent, ſiue eas in commendam retinerent, quæ vocabula eo tempore ſunt Auinioni introducta, vbi tum Pontificia ſedes hærebat. Atque hic fere mos ad noſtra vſque tempora, vt videmus durauit, & ſi aliquanto parcius, quam illis temporibus fieret. Quoniam igitur hoc iam paſſim receptum eſt, vt non modo qui iam Epiſcopatum habent Cardinales fiant, eius adminiſtratione retenta, ſed etiam Cardinalibus, qui non habent, eiuſmodi adminiſtratio committatur, vtriſque ſane Epiſcopalia munera gerenda ſunt, non multo ſecus, ac ſi Epiſcopi non Cardinales eſſent. Debent enim prouidere, vt ouiũ,

quæ

quæ ſibi commiſſæ ſunt ſaluti conſulatur, vt ſalubria eis pabula non deſint, debent arcere corruptelas, & vitia, quæ ſunt quaſi morbi, & peſtes huius gregis, denique debent veros ſe præſtare paſtores. De quo multa dici poſſent, ſed pro his omnibus ſit Borromei exemplum. Nam & ita recens, ac notum eſt, vt commemoratione non egeat, & ita inſigne, vt ſolum ſufficiat ad docendum, quid Cardinali Epiſcopo conueniat. Non poſſum tamen alterum exemplum ex eadem Mediolanenſi Eccleſia reticere, Galdini Salæ, qui anno M.CLXV. ab Alexandro Tertio, primum eius ciuitatis Archiepiſcopus, paulo poſt Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus, totiuſque Longobardiæ Legatus, non ſolum aſſiduis precibus, & ieiuniis, omnique vitæ ſanctimonia enituit, ſed etiam feruido animarum zelo, ita vt à concionibus ad populum habendis, Catharisque præſertim hæreticis confutandis, nunquam ceſſaret: in quo etiam munere immortuus eſt. Sic enim tradunt quadam die concione finita ſimul etiam animã Deo reddidiſſe. Ita-

que

que in Episcopis quidem, qui animarum curam gerant,nulla fere est facta mutatio. Maior facta in Presbyteris Cardinalibus,& Diaconis,qui iam admodum raro propria exercent officia, nisi forte in sacrificando. At antiquitus multa erant alia illorum propria. Nam presbyteri Cardinales animarum, quæ in sua parœcia essent, curam gerebant,ministrabant sacramenta, habebant conciones, denique in suo quisque titulo pastorum munus sustinebant. Diaconorum vero hoc in primis proprium erat, vt Pontifici assisterent, missam celebranti. Ex quo est illud Laurentij ad Sixtum, quod narrat S.Ambrosius. *Quo Sacerdos sanc-* 1.off.c.41
te sine Diacono properas ? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras. Quo eodem loco alterum etiam Diaconi officium indicatur, distribuendæ Eucharistiæ populo, qui aderat. Sic enim ait, cui commisisti consummandorũ consortium Sacramentorum, huic consortium sanguinis tui negas ? Ad eosdem etiã pertinebat intra missæ solemnia Euangelium pronunciare, quod apparet ex Hieronymi

Epi

Epist. 4 Epistola ad Sabinianum. *Tu*, inquit, *exanguis, & pallidus. Euangelium Christi quasi Diaconus lectitabas.* Insuper etiam Diaconorum partes erant baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes: denique omnia præstare, quæ presbyteri (excepta consecratione, & sacramento confessionis,) sed absentibus Sacerdotibus, vel eorum permissu. Nam quod Diaconi Cardinales ad populum concionarentur, illud satis ostendit, quod in vita B. Gregorij legitur, ipsum cum adhuc in eo esset gradu, id assidue, & diligenter factitasse. Illa tamen præcipua erat cura, vel vna ex præcipuis, vt fidelium eleemosynas colligerent, & reliquas Ecclesiæ opes custodirent, & administrarent, atque ex iis viduas, pupillos, & plane egenos omnes delectu, atque inquisitione adhibita, subleuarent. Quod item egregie à B. Laurentio præstitum esse, indicat S. Leo, cum de illo ita scribit. *Qui*, inquit, *non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat*, & paulo post de eodem, *Quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, itemque*

Lib. 1. epist. 41.

Serm. de S. Laur.

que numeroſiſſimos ſanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu, atque veſtitu inamiſſibiles condiderat facultates. Atque hæc quidem adminiſtratio valde erat eo tempore honorifica, & merito, exigebat enim fidem, & integritatem, & prudentiam haud mediocrem. Quo factum eſt, vt hoc Diaconorum officium inter ipſos Cardinales valde eſſet illuſtre, & honoratum. Accedebat etiam alia cauſa, quod Pontifici ipſi propius aſſiſterent, ac miniſtrarent. Itaque eo etiam ventum eſt, vt nõnunquam ipſis quoque presbyteris ſeſe præferrent, quod apparet ex illo Bernardi loco ad Eugenium, vbi eos de hoc ipſo reprehendit. Ridiculi, inquit, miniſtri veſtri (ſic enim Diaconos appellat) veſtris ſe compresbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non conſentit auctoritas. Et ſi de ſua conſuetudine calumnia ſtruitur, melius profecto illa, quã ſummus ordo conteminitur. Friuolum tamen ſatis vnde id maxime obtinere volunt. Nos ſumus, inquiunt, qui in omni celebritate domino Papæ coniunctiores

assistimus, sedenti propiores assidemus, priores sequimur procedentem. Hoc totum non dignitatis priuilegium, sed sedulitatis debitum est, Diaconi nomen solemni ipsa administratione, interpretans. Denique presbyteris ordinata processione ambientibus vos ad pedes sedetis. Propiores assistitis, vt habeat paratiores. Hæc S. Bernardus.

De secundo officio Cardinalium nempe eligendi Pontificis.

Caput V.

ALterum est Cardinalium officium, quod diximus summum totius Ecclesiæ præsidem eligere; quæ quidem est actio omnium maxima, & præstantissima, quæ à Cardinali obiri possint. Nam cum in Ecclesia nulla maior altitudo cogitari possit ipso Pontificatu, quod est sublime, ac summum fastigium inter Christianos, profecto sequitur, ne maius quidem esse posse negociũ, quam hunc ipsum Pontificatum alicui mandare, partémque aliquam

aliquam habere in eo creando, qui cœlorum claues habeat, qui totum Christi Domini gregem eius loco, & cum eius potestate gubernet. In quo quidem opere tam diuino, quæ religio, quæ integritas adhiberi debeat, dicetur à nobis alio loco: nunc id solum quomodo huius amplissimi suffragij ius ad Cardinales venerit, & in ipsis solis remanserit, videamus rem, vt opinor, tum iucundam scitu, tum certe non inutilem, semper enim, vel ab initio ipso Ecclesiæ, hoc perpetuum, ac solemne fuit, vt Pontificem Cardinales, id est, ij, quos nunc Cardinales vocamus eligerent, sed non soli, nam præter eos, reliquus etiam clerus, atque adeo etiam populus ipse adhibebatur; Declarat hoc quidem Cypriani locus, vbi de Cornelio scribens, qui anno CCLI. Pontificatum cepit, expresse indicat, quæ tum esset formula horum comitiorũ. Ait enim Corneliũ factũ esse Episcopũ à plurimis Episc. qui tunc Romæ aderant, de clericorũ pene omniũ testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, de Sacerdotum antiquorum, & bonorũ virorum

Lib. 4. Epist. 2.

Collegio. Ex quibus Cypriani verbis, hoc intelligi licet, præter vrbanum clerum, & populum, si qui forte externi Episcopi adessent, vt tum aderant ex Africa, eos quoque ad eligendum Pontificem admitti solitos. Atque hic quidem vsus viguit vsque ad annum circiter D. XXX. quo tempore Iustinianus Imperator, ad tollenda dissidia, quæ sæpe incidebant, hoc decreuit, vt Pontificis electio firma, & rata non esset, nisi Imperatoris etiam consensus accederet. Itaque anno D. X C. cum Romæ vna omnium ordinum voluntate Pontifex creatus esset, Magnus Gregorius, non tamen antea consecratus scribitur, quam responsum à Mauritio Imperatore veniſſet, quod fuit post sex menses, & si non interim Gregorius omitteret curam aliquam Ecclesiæ gerere, indictis aduersus pestilentiã Litaniis, & supplicationibus, aliisque eiusmodi salutaribus decretis, pro loco & tẽpore. Sed hanc sane legẽ de Imperatoris assensu expectando, & si eum, quẽ dixi prætextum habebat, tamen Gregorius ipse, in cuiusdam psalmi interpretatione iniu-

Psal. 4. pœnit.

stam,

ſtam, & iniquam, atque adeo tyrannicam appellat, & merito, quoniam laicis Magiſtratibus nulla eiuſmodi poteſtas à Chriſto relicta eſt. Tenuit tamen per annos cẽtum & quinquaginta, id eſt, vſque ad annum Domini DC. LXXXIV. quo tempore Conſtantinus Quartus optimus Imperator, & Eccleſiæ defenſor acerrimus, antiquã reſtituit libertatem Benedicto Secundo Pontifice, edicto miſſo, vt qui Romæ concordibus animis Pontifex eligeretur, ſtatim ſine Imperatoris auctoritate conſecrari poſſet, priore illo Iuſtiniani decreto abrogato, quod hactenus fuerat ſemper ſeruatum, nec ſine ſumma neceſſitate prætermiſſum. Quæ quidem huius Principis ſanctio percommode, perque opportune accidit, ob eorum Imperatorum impietatem, qui poſtea ſequuti ſunt, vt Leonis, Copronymi, & aliorum, qui Catholicæ Eccleſiæ apertum bellum indixere. Poſtea vero cum Romana Sedes Longobardorum armis premeretur, eaque à Gallis Regibus, quorum opem implorarat, ſtrenue eſſet defenſa, primum à Pipino, deinde etiam

à Carolo Magno, ac præterea multis agris, & vrbibus, & prouinciis etiam integris ab iisdem esset aucta, anno demum DCCLXXIII. Hadrianus Primus, cum Concilio centum & quinquaginta trium Episcoporum, præter cætera, hoc etiã iam Carolo detulisse dicitur, vt Pontificis legẽdi ius haberet primum, vt eo honore gratiam tantis eius meritis: tum propriis, tum etiã paternis, atque auitis rependeret. deinde ad comprimendas populares contentiones, quæ in Pontificiis comitiis crebro nascebantur; cum nemo Romæ esset tanta potentia, vt eas posset coercere. Carolus tamen potestatem huiusmodi nunquam exercuisse legitur, siue quod vere eam nunquam habuerit, siue quod in re quam ad secularem Principẽ minime pertinere nouerat solita sibi moderatione animi vtendum arbitraretur. Quare prior consuetudo in creandis Pontificibus perseuerauit. Itaque anno DCCC. LXVII. cum creatus esset Hadrianus Secundus, statimque consecratus, ac de eo Ludouici Secundi Imperatoris Legati, qui forte aderant expostulas-

a. Hadrianus. d. 63.

sent,

Digitized by Google

ſent, reſponſum eſt eis, hoc ideo factum, ne ius aliquod Imperatori in Pontifice creando quæreretur; quod Ludouicus ipſe non ſolum probauit, ſed etiam priuilegio antea conceſſo legitime renunciauit, quæ renunciatio in ſacros canones relata eſt. Nec ita multo poſt ſeneſcétibus in Italia Gallicis viribus, hoc ipſum expreſſius ab Hadriano Tertio anno DCCCLXXXIV. conſtitutum eſt, cuius hoc decretum extat, vt Pontifex ſine Regis præſentia, vel Legatorum eius, conſecrari poſſit.

c.ego Ludouicus. d.63.

Deinde vero anno DCCCCLXIII. cum Ioannes XII. Pontificiam Sedem, quam Alberici patris potentia, & vi occuparat, vita peſſima, improbiſque moribus fœdare diceretur, Otho primus ex Germania aduocatus, concilio coacto curauit, vt eo depoſito, alter eligeretur. Electus Leo octauus inter cætera, quæ ad Eccleſiam reformandam conſtituit, id etiam fuit, quo modo obſiſteret Romanis, qui aut minis, aut mercede populum, clerumque corrumpebant, vt ſeipſos, vel amicos, vel propinquos, ad Pontificatum,

proueherent, ex quo ſeditiones, & ſchiſmata ac tetra ſcandala oriebantur. Viſum eſt autem non poſſe huic eorum inſolentiæ acrius frenum iniici, quam ſi ſuffragij ius quo Populus Romanus in electione Pontificis vtebatur in Imperatorem transferretur. Neque enim ea quę tum vigebant tempora iam amplius ferre poſſe videbantur. Hadriani Tertij decretum quo magna cum Eccleſiæ vtilitate ac dignitate Pontificia comitia in priſtinam fuerant libertatem redacta. Quam ob cauſam idem Leo ius eligendi ſuum ſucceſſorem ac ordinandi (ſic enim ait) Summæ Sedis Apoſtolicæ Pontificem Ottoni Imperatori eiuſque in Regno Italiæ ſucceſſoribus tribuit. Atque hęc quoque facultas ſacris canonibus inſerta eſt. Sed tamen non multo poſt, hoc eſt anno DCCCCLXXIII. rurſus Pontifices creari cœpti ſunt, nulla Imperatoris ratione habita, eadem Romanorum vi, & ſeditione, quod cum multorum malorum ſeges eſſet, anno MXLVII. Henrico II. Imperatore ob eius item præſtantem pietatem, & merita, conceſſum eſt idem quod Otho

C. *in Syno do d.* 63.

Digitized by Google

Othoni, vt deinceps ſine ipſius auctoritate non crearetur Pontifex. Ex quo priuilegio is anno proximo, Clemente Secundo mortuo, Popponem Brixienſem Epiſcopum Pontificem abs ſe factum, Romam miſit, qui Damaſus Secundus dictus eſt. cuius quidem celerrima mors hanc opinionem in hominum animis ingenerauit, non placuiſſe Deo Pontificem electum ab Imperatore. Quare cum hoc mortuo nihilominus ille Brunonem Tullenſem Epiſcopum, qui Leo Nonus appellatus eſt, Pontificem feciſſet, hic quidem, & Damaſi exemplo, & Hildebrandi Mohachi oratione deterritus, ne ſacroſanctam dignitatem prophani hominis arbitrio delatam iniret, in ipſo itinere purpuram, & Pontificia ornamenta ſtatim abiecit, ac peregrini habitu Romam ingreſſus, cleri, populique conſenſu, ad Petri Sedem euectus eſt. Quare cum Impetatores nimium iam ſibi ſumpſiſſent, Nicolaus II. anno MLIX. omnem hanc eligendi rationem moderandam ratus, ita decreuit, vt electio præcipue à Cardinalibus perageretur, deinde reliquus clerus, ac *d. 79. c. 1. & c. ſi quis pecunia.*

populus ad eam comprobandam accederet, ſaluo tamen, inquit honore, & reuerentia Henrici. Quare hoc primum tempore, totum eligendi ius Cardinalibus conceſſum eſt, ſic tamen vt adhuc ratio aliqua haberetur, tum reliqui populi, tum Imperatoris. Et tamen biennio poſt, Nicolao mortuo, legimus Alexandrum II. nulla Henrici, qui tum erat Tertij auctoritate tum electum, tum etiam conſecratum, quæ fuit cauſa, vt indignatus Henricus, habito Baſileæ conuentu, Cadolum Parmenſem Epiſcopum Pontificem renunciaret, ex quo turpe ſchiſma exortum eſt. Et cum paulo poſt Legatum Romam miſiſſet, vt de hoc Pontificem accuſaret, ita ei ſatisfactum eſt, quoniam propter eminentem diſſenſionem non potuiſſet diutius expectare. Quare de Gregorio Septimo magno plane viro, qui huic Alexandro ſucceſſit, ita accepimus non prius conſecrationem admiſiſſe, qnam miſſis ad Henricum Legatis, illius quoque voluntatem exploratam habuerit. Cæterum in huius Pontificis electione, cuius adhuc decretum extat, ſatis

apparet

apparet quæ tunc esset formula in eligendo. Sic enim habet. Nos Sanctæ Romanę Ecclesię Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis, Abbatibus, & Monachis, consentientibus pluribus turbis vtriusque Ordinis, eligimus nobis in Summum Pontificem Hildebrandum Archidiaconum, & reliqua, quæ multa in eius laudem sequuntur. Ex quo apparet, adhuc pręter Cardinales hoc tempore alios etiam ad electionem admissos. Quod etiam apertius cognosci potest, ex eo, quod scriptum est, tum ab aliis, tum à Sigonio, cum Victor III. in Cassinati cœnobio diem obiisset, anno MLXXXVIII. Episcopos qui conuenerãt admonuisse Romanos Clericos, Laicosque, itemque Appulos, & Campanos Antistites, vt certo tempore Terracinæ adessent, ad nouum Pontificem creandum, qui vero adesse non possent, literis, aut nunciis iudicium suum exponerent. Itaque aduenisse eo Cardinales, & Episcopos, & Abbates ex variis regionibus, at vero ex Romana vrbe Ioannem Portuensem *Lib. 9. de reg. Ital.*

Episcopum omnium clericorum. Benedictum vero Vrbis Præfectum omnium laicorum sententiam per literas attulisse: quibus quidem comitiis Vrbanus Secundus Pontifex est renunciatus. Quare hæc adhuc erat eligendi Pontificis ratio, fuitque vsque ad Alexandrum Tertium, qui Pontificatum inijt, anno MCLIX. gessitque vno, & viginti annis tempore fœdi schismatis. quare vt primum ex magno calamitatum concursu, quibus Ecclesia laborabat, respirare potuit, his ipsis incommodis admonitus, Concilium Lateranense aduocauit, in quo trecenti Episcopi, aliique complures prælati, affuerunt. In eo igitur Concilio decretum condidit, quo totum eligendi ius in Cardinales translatum est, clero reliquo, & populo, atque etiam Imperatore excluso: neque hoc solũ vt Cardinales soli, sed etiam vt duę tertię partes Cardinalium requirerentur. ex qua formula primus omnium Lucius Tertius creatus, cuius electionis diploma vidisse se testatur Onuphrius. Idemque deinde confirmatum est à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi anno

cap. licet extra de elect.

c. vbi periculo de elect. in 6

Digitized by Google

anno M. CCLXXXIV. itemque à Clemente V. magis corroboratum. Quæ quidem formula adhuc in vſu eſt, ſemperque his totis quingentis annis durauit,quod ſatis magnum poteſt eſſe argumentum,hunc eſſe optimum, & commodiſſimum modum, quando nunquam amplius variatum videmus, ex quo ſemel eſt receptus, cum priores omnes modi inſtabiles fuerint,nec diu in vllo perſeueratum. Quod etiam alio argumento confirmari poteſt; Nam cum ante Alexandrum Tertium,ſex,& viginti ſchiſmata inueniantur, his deinde iam quinque ſæculis vix tria extitere, atque ex his tribus vnum tantum Vrbani Sexti Cardinalium culpa. Nam alia duo, alterum, quod tempore Ioannis XXII. extitit,ab Imperatore Ludouico excitatum eſt,alterum quod tempore Eugenij Quarti à Concilio Baſilienſi. Quare non ratio ſolum, ſed ipſa quoque experientia ſatis demonſtrauit, nullam meliorem commodioremue formam excogitari potuiſſe. Hæc igitur de eligendi poteſtate. Nam quid deinde in eligendo ſpectandum, quid

Clem. Ne Rom. de elect.

ſeruan-

ſeruandum ſit, de eo, vt ante dixi, ſuo loco ſeparatim agemus.

De tertio Cardinalium officio, quod eſt aſſiſtere Pontifici.

CAPVT VI.

REſtat tertium munus, quod conſiſtit in conſiliis Pontifici dandis, cuius etiam muneris explicanda eſt origo. Nam antea quidem per annos circiter octingentos, hoc faciebant Pontifices, vt ad grauiora negocia conſultanda cogerent concilia, quæ vocabant nationalia, id eſt Italicorum Epiſcoporum, quibus tamen conciliis etiam Presbyteri Cardinales intererant, vt apparet in Synodo Gregorij, quæ eſt inter eius Epiſtolas. In ea enim poſt Epiſcoporum nomina, vrbanorum etiam Preſbyterorum nomina leguntur. Sed cum auctis Eccleſiæ opibus, & inſuper acceſſione temporalis principatus, cœpiſſet Pontifex in ſingulos dies egere conſiliariis, & adiutoribus; nec poſſent tam ſæpe euocari

Lib. 4. c. 88.

Epiſco

Epiſcopi,concilia illa paulatim omiſſa ſunt, reſque tota redacta ad Senatum Cardinalium. Atque hoc ſane multo commodiùs. Primum enim hi magis in promptu, & ad manum, deinde etiam,vt neceſſe eſt,cum in his negotiis aſſidue verſentur, magis eorũ ſtatum norunt, quod ad conſilium dandum magnopere confert, poſtremo illa Epiſcorum euocatio non fieri poterat ſine magno, & crebro ſuarum dioceſum detrimento.Hæ igitur ſunt partes Cardinalium, hoc officium, vt quoniam vnius hominis mens,& conſilium, nullo modo tantæ moli ſuſtinendæ par eſſe poteſt,addantnr aliqui, qui in tanto,tamque laborioſo, & difficili opere Pontificem adiuuent, & ſubleuent. Itaque non poteſt melius deſcribi hoc eorum officium, quam deſcriptnm eſt in ſacro quodam canone, vbi appellantur principales aſſeſſores, conſiliarij, & in exequutione principales officij cooperatores.Quod etiam voluit S. Bernardus, cum eos vocat Pontificis collaterales, & coadiutores; Quod ſi ita eſt, facile apparet illud ſequi, vt quam late patet

c.fundamenta de elect. in 6.

4.de conſid.

Sum

Summi Pontificis cura, tam etiam late patere oporteat Cardinalium pro ſua parte, ſtudium, ac vigilantiam. Quare, Frater Illuſtriſſime, quandoquidem cum perſona, à dignitate, Cardinalis onus, & officiū, pariter ſuſtines, haud-quaquam ſatis putare debes, ſi Romanæ Curiæ negocia tractes, ſi in controuerſiis ad ſignaturam relatis iudicium interponas tuum, ſi huic, aut illi amico beneficium aliquod, vel honorem aliquem cures, etiam ſi iuſte, ac pie id facias. Hoc enim parum admodum eſt, nimiſque reſtrictum. Igitur veſtra cogitatio totum terrarum orbem complecti debet, ipſamque Eccleſiam vniuerſam; quomodo hæreſes adeo iam diffuſæ profligentur, quomodo prouinciæ à recta fide alienatæ ad ſanitatem reuocentur quæ ſit ratio retinendi Galliam, quæ Angliam reſtituendi, quæ iuuandi Germaniam, aliaſque ſimiles regiones. Atque vt hę, quæ iam aliæ omnino, aliæ ex parte magna ſunt corruptæ, curandum eſt, vt ſanentur, ſic quæ ſanæ ſunt, ne corrumpantur, tum probis Epiſcopis legendis, tum prauis moribus euellendis,

dis, tũm denique occurrendo omnibus incommodis, quæ quotidie incidunt, & quaſi malum gramen in Domini vinea aſſidue ſuboriuntur. Hæc boni,& ſtrenui Cardinalis eſſe debent ſtudia,hæ cogitationes, vt omnes ſuas curas ad Eccleſiam referat, & in Eccleſia conſumat,vt omnem ſuam mentem, & diligentiam, & induſtriam ad hoc vnum excitet.Itaque recte S.Bernardus in Epiſtola quadam ad omnes Cardinales,qua eos hortatur,vt Abailardi pullulantem hæreſim excindant. Agite,inquit, pro loco, quem tenetis, pro dignitate,qua polletis, pro poteſtate, quam accepiſtis. quibus verbis aptiſſime indicat, hoc eſſe Cardinalium proprium,vt excubent pro bono communi, vt in continua quadam vigilia ſint aduerſus hæreſes, & aduerſus omnia vitia,atque ob hanc cauſam datam eis eſſe dignitatem, & poteſtatem,qua pollent. Quare niſi eam huc referant, niſi ea ad hunc finem vtantur,eiuſmodi quidem dignitas, ac poteſtas nihil erit aliud, quam gladius vagina reconditus,aut vt eſt in Euangelio, talentum à ſeruo nequam in terra

Ep. 188.

Matt. 25.

terra defoſſum; quæ culpa tenebris exterioribus, fletu, & ſtridore dentium æterno vindicata eſt. Ex quo quidem manifeſte agnoſcis quantopere ab officio diſceſſurus ſis, non ſolum ſi deſidiæ, & ignauiæ, oblectamentiſque te tradas, ſed etiam ſi ita te cum vno aliquo Principe, aut rege, aut cum ciuitate aliqua colligaueris, eorumque priuatis commodis ita ſtudueris, vt de totius populi Chriſtiani vtilitate nil cogites, Nam ſi priuatorum commoda à publicis orbis Chriſtiani vtilitatibus abhorrent; nimirum bono, & conſtanti Cardinali negligenda ſunt. neque committendum vt cuiuſquam Principis gratia, ſiue auctoritas Cardinalitiam eripiat libertatem. Ac neſcio an tibi præcipue id deliberatum, fixumque eſſe oporteat. Meminiſti enim profecto, quod obliuiſci non potes, quam amplis verbis Gregorius XIV. tibi atque Illuſtriſſimo Collegæ tuo Aquauiuæ inſignia Cardinalatus impertiens, & honorem ipſum, quo vos decorabat, ornarit, & tanti muneris commendauerit, dignitatem. Mementote, inquit, vos à nobis nullius

roga

rogatu, ſed Eccleſiæ ſolius reſpectu, in Patres legi:ac proinde in iſto munere gerendo ad Eccleſiam ſolam reſpectum habere oportere. Et ſane cum Sacroſancta hæc Romana Eccleſia communis omnium mater ſit, & æquè omnes vt filios amplectatur, oportet ipſos etiam huius Eccleſiæ miniſtros hunc eundem affectum induere, vt ſe homines communes exiſtiment, vereque omnium patres ac tutores : nec ſolum ita ſentiant, ſed etiam factis oſtendant,ac prę ſe ferant, nec vlli aut homini, aut loco tantum tribuant, vt non multo plus Eccleſiæ Catholicæ, id eſt vniuerſali deferant, quam vel laterum, & vitæ ſuæ oppoſitu tueri debent.Quo nomine magnopere Alphonſum illum Borgiam,poſtea Calixtum Tertium, laudatum accepimus, qui cum, vt Aragonenſis, Alphonſo Regi ſubditus eſſet, nunquam tamen illius gratia ſe inclinari, aut flecti paſſus eſt, quo non debebat. Quin etiam cum is aliquando inſtaret, & vrgeret, vt ad Baſilienſe Concilium, quod ſine Pontificis auctoritate fiebat, ſeſe

conferret, libere ac fortiter recuſauit: immo vero Regi ipſe perſuaſit, vt Neapolitanum bellum, quod ille aduerſus Eccleſiæ dignitatem gerebat, omitteret. Quare hoc idem ab omnibus Cardinalibus faciendum eſt. & ſi quam habent cum Principibus propriam, ac peculiarem coniunctionem, eam ſane conſeruare, & colere debent, ſed ideo, vt illos ipſos Principes facilius retinere poſſint coniunctos cum publica cauſa, non vt ipſi à publica cauſa ob illorum gratiam, reſpectumque deſciſcant.

Cardinales ex vi ſtatus obligatos eſſe ad perfectionem.

CAPVT VII.

ACcedimus nunc ad id quod vere in Cardinali dici poteſt fundamentum omnium officiorum; quoniam hoc fundamento iacto, facile deinde apparebit, quas in eo virtutes, aut quales, & quo gradu eſſe oporteat. Hoc autem, quod appello fundamentum

tum in hoc consistit, quod ipse status Cardinalis obligationem inducit perfectionis. Itaque non ei sufficere debet, vt virtuti studeat quoquo modo, aut eius quadam sit mediocritate contentus, sed requiritur virtus quædam consummata, & omnibus partibus ac numeris absoluta. Denique vt verbo vno dicam, requiritur, vt omnino perfectus sit, & nisi perfectus sit, non est, quod esse debet. Quod sane vereor, ne aliquibus forte nouum, ac mirum, aut etiam nimis durum, rigidumque videatur. Sic enim iam eunt tempora, iamque aliam omnino formam induerunt ab ea quæ esse deberet, & quam Christus esse vellet, sed res tam certa est, vt non recusem quin nulla mihi fides habeatur, si non eam tam apertis rationibus, tam euidentibus testimoniis doctissimorum hominum comprobaro, vt quemuis etiam tergiuersantem, inuitumque conuincant. Intelligendum est igitur triplici plane persona indutum esse Cardinalem, primum Christiani hominis, deinde clerici, postremo quæ propria, ac præcipua est, Cardinalis. Sed de Christiani

qui

quidem obligatione, quoniam generalis est, nihil hic dicendum puto, nisi hoc vnum, Euangelicam legem, quam
*Psal.*18. Dauid merito immaculatam appellat, & castam, puramque tanquam argen-
*Psal.*11. tum septies purgatum, ita in omni genere perfectam esse, vt nihil labis admittat, quod nihil est aliud, quam excludere omnia vitia, omnes requirere virtutes. Quid enim amplius dici potest? otiosum quodlibet verbum prohibet, & ita prohibet, vt non sine sua pœna, ac supplicio abiturum minetur.
*Matt.*12. Igitur quicumque hanc legem professus est, hoc professus est, se ex illius præceptis esse victurum, nec ab illis vllo modo discessurum; in quibus quidem seruandis, quædam est sita perfectio. Hoc ergo est Christianum esse, hoc baptismum suscipere, ni-
*Serm.*14. mirum, vt ait S. Leo, renunciare Dia-
de pass. bolo, & in nouitatem è vetustate transire, & terreni hominis imagine deposita cœlestem formam suscipere, in eoque interuenire quandam speciem mortis, & quandam similitudinem resurrectionis, vt homo susceptus à Christo, Christumque suscipiens,

piens, non ſit idem poſt baptiſmum, qui fuerat ante baptiſmum. Quo etiam pertinet illa Cypriani exhortatio. Conuerſemur quaſi Dei templa, vt Deum in nobis conſtet habitare, nec degeneret actus noſter à ſpiritu, vt qui cœleſtes, & ſpirituales eſſe cœpimus, non niſi ſpiritualia, & cœleſtia cogitemus. Idemque alio loco. Conſiderandum eſt, inquit, fratres dilectiſſimi, & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo, & tanquam hoſpites, & peregrinos hic interim degere. Quæ cum ita ſint, non debent exiſtimare homines hanc perfectionis obligationem, quæ in Deo perfecte amando, Deique præceptis, quæ tantam perfectionem continent, perfecte exequendis poſita eſt, ſolis eſſe viris religioſis iniunctam. Eſt enim omnibus iniuncta, etiam laicis, atque iis, qui in ſæculo viuunt, & inter mundi ſtrepitus. quoniam omnes ab eodem Deo geniti, & omnes eodem Chriſti ſanguine redempti, idem omnes præmium, eandemque gloriam expectant; denique omnes etiam, vt

De orat. dom.

Serm. de lapſ.

vt diximus, hoc in ſuſcipiendo baptiſmate promiſerunt.

Quod ſi hæc tam magna eſt obligatio omnium Chriſtianorum, quanto deinde maior erit clericorum, qui ad hoc ipſum ſegregati ſunt, vt peculiarem Deo ſeruiant ſeruitutem, quique ideo ſunt inſtituti, vt hominum peccata comedant, vt inter veſtibulum, & altare plorantes diuinam iram placent, vt populos à vitiis reuocent, erudiant ad virtutem. Accedit etiam ſumma cum Deo coniunctio, quam affert ſtatus ipſe, de quo recte S. Gregorius, eos myſtice Bethel vocari, id eſt domum Dei. Quid enim inquit, Bethel niſi viros officio ſacri altaris deputatos ſignificat, quia dum ſpiritualibus ſtudiis inhærent, veluti domeſtici Dei omnipotentis familiares ſunt. Atque idem alibi illud afferens ex Leuitico, quo prohibetur, ne vllus, qui maculam habeat, ad Dei accedat miniſterium, interpretatur etiam, quæ illæ ſint maculæ, quas ſcriptura commemorat. Cœcus quippe eſt, inquit, qui ſupernæ cótemplationis lumen ignorat. Claudus, qui quidem quo pergere debeat,

Ezech. 8.

3. *in lib Reg. c.* 5.

1. *paſt. c.* 11.

Leuit. 21.

debeat, aſpicit, ſed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfecte non valet tenere,quam videt.Fracto etiam pede, vel manu eſt, qui viam Dei pergere omnino non valet.Gibbus vero,quem terrenæ ſolicitudinis pondus deprimit, ne vnquam ad ſuperna reſpiciat, ſed ſolis iis, quæ in infimis calcantur, intendat. Igitur ſi ab iis omnibus vitiis abeſſe debent omnes, qui ſeſe Eccleſiaſticæ vitæ deuouerunt,facile apparet quanta eorum omnium debeat eſſe perfectio. Omnium dixi,ne quis hoc de ſolis prælatis dici arbitretur. Et ſi enim de ipſis præcipue dicuntur, tamen quicunque ſe diuinis altaribus conſecrarunt, quicunque myſteriorum illorum ſanctitatem tractant,omnes plane ſanctos, integros, & impollutos eſſe oportet. Quamobrem recte S. Hieronymus, Non ſolum, inquit, Epiſcopi,Presbyteri,& Diaconi debẽt magnopere prouidere, vt cunctũ populum, cui præſident, conuerſatione, feruore,ac ſcientia præcedant,verum, & inferior gradus. s. exorciſtæ, lectores,æditui, & omnes omnino qui domui Dei ſeruiunt: quia vehementer

Epiſt. ad Titũ.c.1.

Ecclesiã Christi destruit, meliores laicos esse, quam clericos. Igitur si ædituus quiuis, & quiuis vulgaris clericus, quia ex Dei familia est, hanc debet perfectionem sectari, facile est hinc argumentari, quid à Cardinalibus exigatur. Etenim Prælati omnes, aut qui maius aliquod negocium in Ecclesia gerunt, ij sunt, vt ait S. Gregorius, qui vt Noë arcam in vndis, ita dum ad formã vitę populis præsunt, Sanctã Ecclesiam in tentationũ fluctibus regunt. Ipsi etiam, vt idem S. Gregorius alibi, orbẽ portãt, quia tantorum pondera vnusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Quod si veterem illum clerum considéremus, vt est à Christo institutus, ab Apostolis excultus, atq; primis illis sæculis in Dei Ecclesia viguit, plane videbimus quid de hoc ordine cogitandum sit, & quã alte suspicere debeat, qui ita se instruere velit, ne ab huius status præstantia & perfectione degeneret. Quis enim illis temporibus feruor? quæ in Deum charitas? quis animus, quæ alacritas ad martyrium subeundum? quis deinde zelus in proximorum salute procu-

1. moral. c. 7.

9. moral. c. 10.

randa

randa, pro qua nullis laboribus, nullis parcebant periculis ? Denique quantus contemptus rerum omnium terrenarum, honoris, diuitiarum, commoditatum, cum etiam plerique, vt de Cypriano accepimus, paternas omnes possessiones, & quicquid habebant, venderent, ac pauperibus distribuerent. ipsi vero vt plurimum in paupertate, & summa rerum omniũ inopia traherent vitam? Itaque non illi ordinem hunc, vt gradum ad ambitionem, aut ad opes augendas suscipiebant, sed quod vere est, tanquam Dei militiam, & obsequium, vt se totos eius numini consecrarẽt. Itaque si verum fateri velimus, nosque ipsos sine assentatione respicere, adeo nos deflexisse à prisca illa cleri formula reperiemus, vt vix eius maneant vlla vestigia. Quam iacturam, & quam plagam, iam tum suo tempore deflebat Gregorius, eamque in Samuele expressam putabat, in quo quoniam nouum Sacerdotium designatum est, cum sacra Scriptura eũ senuisse commemorat, hoc putat indicari dum Ecclesia per decurrentium temporum

4. *in lib.* *Reg. c.* 4.

ſpatia ducitur, in nonnullis Sacerdotibus conuerſationis pulchritudinem veteraſcere. Quaſi enim, inquit, iuuenis erat Samuel, quando Sacerdotum ordo ſolis cœleſtibus deſideriis inhians, dum nulla terrena quæreret, quo efficacius ſuperna prædicare poterat, eo ad ea nihilominus verbis, & exemplis ſubditorum animos accendebat, valebat enim robore, & iuueni li pulchritudine radiabat, dum vim cœlcſtis verbi in ſplendore oſtenderet ſanctæ conuerſationis, quia quicquid validum loquendo poterat prædicare, nitebatur etiam ſublimiter viuendo oſtendere. Sed iamdiu eſt, quod Samuel ſenuit. Multa enim tempora elapſa ſunt, ex quibus multi Sacerdotes amorem ſæculi ſequuntur, quorum virtute depelli gaudia mundi ab aliorum cordibus debuerunt. Hæc & alia multa ibidem Gregorius; quibus hoc vnum adiiciendum videtur, hanc perfectionis formam, ab omnibus clericis exigi, quos vt ait S. Hieronymus, nomen ipſum admonet eos de ſorte domini eſſe, & Dominum eorum eſſe ſortem, vt propterea nihil extra

Epiſt. 2.

Do

Dominum habere debeant. Verum si hæc perfectio omnibus necessaria est, qui clericos se profitentur,certe multo magis iis,qui in clero ipso eminent: & quo magis eminent , eo magis debent omni virtutis laude præcellere, quoniam & communes cum aliis causas habent,& proprias.

Videamus nunc tertium gradum huius obligationis,ita proprium Cardinalibus , vt nullis aliis conueniat. Quod vt plenius intelligatur , quoniam magnum in eo momentum positum est , videtur res paulo altius repetenda. Etenim aliud est perfectio, aliud vero perfectionis status. Perfectio in diligendo Deo consistit, quam ob causam charitas à B. Paulo perfectionis vinculum appellatur , eiusque ratio est,quia vnaquæque res tum perfecta dicitur , cum suum attingit finem; Finis quippe est consumınata rei perfectio. at charitas cum Deo coniungit , qui finis est noster , quoniam *qui manet in charitate , in Deo manet, & Deus in eo.* Verum perfectionis status spectari debet,nõ tam ex eo, quod intus in anima agitur respectu Dei,

Col. 3.

1. Io. 4.

quam quod ſit exterius reſpectu Eccleſiæ. Requiritur enim vt hic ſtatus cum obligatione ineatur, atq; hæc ipſa obligatio cum aliqua ſolemnitate, eaque huiuſmodi, vt perpetuam habeat firmitatē. Itaque in perfectionis ſtatu eſſe aliquis dicitur, non ex eo, quod perfecte Deum diligat, ſed ſi ſe obligarit ad aliqua perfectionis officia. Fieri enim poteſt, vt quiſpiā ei ſe obliget, quod poſtea nō præſtet, alius vero id præſtet, cui ſe non obligauit: vt duo illi quos Dominus narrat apud Matthæum, quorum alter iuſſus à patre in vineam ire, reſpondit impigre: *Eo domine*, nec tamen iuit; alter prius quidem ire, recuſauit, poſtea paruit. Hoc igitur poſito, facile eſt diſcernere, quinam in ſtatu perfectionis; cenſeri debeant; in primis videlicet Epiſcopi, & religioſi, quoniam vtrique obligationē perpetuam ſuſcipiunt ad opera perfectionis, idque cum aliqua externa cæremonia. Epiſcopi quidem, quia ad id ſe obligant, vt animas ſibi creditas illuminent, inſtruant, ad perfectionem adducant, ac pro ipſis etiam ſi opus ſit, vitam profundant. Quin etiā iis conſecran

Matt. 21.

ſecrandis certi ritus adhibentur, eſtque nexus ille perpetuus, qui niſi permiſſu Pontificis diſſolui nequeat. Eadem eſt ratio etiã religioſorũ, ſed hoc amplius in Epiſcopis, quod etiam vt perfectores, quemadmodum ait Dionyſius, quoniam aliis perficiendis operam nauãt, religioſi autem, vt perfecti. Cum igitur de hoc vtroq; genere, hoc certum ſit, videamus iam de Cardinalibus. D. Antoninus quidẽ diſerte, ait, Cardinales non eſſe in ſtatu perficiendorum, ſed perfectorum, & quidem multo magis, quam Epiſcopos. Idem etiam ſcripſit Auguſtinus Triumphus optimus Theologus aliquanto ſenior Antonino, natus quippe eſt, vt accepimus, anno MCCXLIV. Hic igitur ipſe quoq; hac quæſtione poſita, vtrum Cardinales ſint in ſtatu perficiendorum, an vero perfectorum, aperte reſpondet, perfectorum. immo vero in hoc genere perfectionis primum in Eccleſia locũ tenere etiam ſupra Epiſcopos, ac proinde maiorem in eis charitatem, maiorem iuſtitiam, maiorem etiam rerũ temporalium deſpicientiã, requiri, quam in ipſis Epiſcopis. Quin

Eccl. Hie. c. 5. & 6.

3. p. tit. 21. c. 2.

In ſum. 9. 102. 2. & 3.

lib. 1. de Eccl. c. 8

etiam Turrecremata cum ipſe quoque ex profeſſo, quæſtionem hác propoſuiſſet, ſubiicit eandem reſponſionem, omnino Cardinales perfectionis ſtatu cenſeri. Nam præter quotidiana officia pro Eccleſiæ bono, quæ magna,& ardua ſunt, obligant etiam, & deuouent Deo ſeſe ad fidem Catholicam,Chriſtianamque religionem totis viribus tuendam, etiam ſi in ea cauſa ſanguis profundendus ſit, & ad hoc tam præclarum munus cõſecrantur cum multis inſignibus cæremoniis, certiſque ſacramentis, quæ ſummo Pontifici præſtant,tum vero de fide ſeruanda. Quare nihil dubitãdum eſt, quin hic quoque ſtatus perfectus ſit,& quidem multo perfectior,quam Epiſcoporum,quia bonum vniuerſalis Eccleſiæ ad cuius gubernationem aſſumuntur, & pro cuius propugnatione ſpondent animas exponere, maius, & diuinius eſt, quam bonum particularium Eccleſiarum, quam ad curam alij Prælati obligantur; Hæc ad verbum Turrecremata.

Poſſunt autem omnia iſta confirmari pluribus argumentis ductis tũ ex digni

dignitatis amplitudine, de qua ante diximus, tum ex officio, de quo proxime, tum etiam ex difficultate negotij, quod Cardinalis gerit. poſtremo ex ſimilitudine quadam cœleſtis illius Eccleſiæ. Primum enim honos ipſe, qui homini tribuitur, ſimul & præmium quoddam eſt virtuti redditum, & indicium, ac teſtimonium virtutis, quæ in homine ſit. Quare ex vtroque capite ſummus hic honos ſummam requirit, perfectamque virtutem. Ac niſi ita ſit, mendacium quoddam committitur, ſeu furtum in re maxima. Accipitur enim & exigitur maximum decus minime debitum. Adde huc quod Eccleſia nihil aliud eſt, quam ſpiritualis quædam res publica; quare & munera, quæ in ea ſunt, ſpiritualia ſunt, & graduum diſtinctio ex ſpiritualibus cauſis ſpectari debet. Nam vt in ſocietate aliqua mercatorum, aut militum, vel nautarum, ij quidem in officiis partiendis præponuntur, qui in ſuo quiſque genere peritiores, & inſtructiores habentur: contra vero magna eſſet confuſio, & perturbatio ſi Magiſtratus, vel ex formæ,

aut vocis elegantia, vel ex pingendi, aut ædificandi scientia, quæ ad rem non faciunt, deligerentur ; ita in hoc spirituali, vt diximus, regno, multo maius monstrum est, si superiores hi gradus non ex spirituali genere, sed ex diuitiis, aut opibus, aut aliis eiusmodi terrenis rebus constituantur. Quamobrem recte de hoc Hieronymus Manfredus, nō quidem ex Theologorum numero, sed quod magis etiam mouere debet iurisperitorum, bonus tamen, & doctus iurisperitus, officium, inquit, Cardinalium est, honestis moribus, & vitæ integritate adeo elucere, vt tanquam lumina quædam sint, & exemplum omnibus præbeant, vt vere cardines appellentur, & columnæ illæ dignitatis supra montem positæ. Quid enim pernicioſius, quid Deo odioſius, quam vt quos docere debeas, eos tu ipse prauo exemplo ad malum allicias ? Contra vero quanti refert si cum præstantia dignitatis, vitæ etiam præstantia conuenerit? Nam cum omnium oculi in eos, qui cæteris præsunt respiciant, sanctiores esse cæteris debent, qui primum

Lib. de Card. c. 7

mum locum poſt Pontificem obtinent, & velut dij quidam in terris honorantur. Hæc ille.

Ex officio vero ita argumentari licet, Cum Pontifici aſſiſtere Cardinales, eumque in rebus maximis aſſidue iuuare debeant, tum conſilio, tum opera, nunquam id præſtare poterunt, vt quidem rei amplitudo requirit, ſi vitiis ſeruiant, ſi humanis affectibus tranſuerſos ſe agi ſinant, ac denique ſi non omnibus virtutibus ſe diligenter excolant. Qua de re auctoritatem habemus maximam, vtique ipſius Tridentini Concilij, in quo cum de Cardinalium reformatione ageretur, hæc ipſa verba ponuntur. *Quorum conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem cum vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt non iis etiam virtutum inſignibus, ac viuendi diſciplina eos fulgere, quæ merito in ſe omnium oculos conuertant.* Huc accedit, vt diximus, difficultas ipſius ſtatus, quę nunquam vinci poterit, niſi abundantia quadam ac perfectione virtutis. Quid enim difficilius, quam inter

Seſſ. 25. c. 1.

tantos honores, humilitatem retinere, aut inter tantas opes, & diuitias illam ſpiritus paupertatem, ſine qua, vt Saluator ait, nemo regnum cœlorum adipiſci poteſt? Itaque vt ad maiorem hoſtium numerum profligandum, maius requiritur robur, ſic Cardinalis, ſi ſalutem conſequi velit inter tot ſalutis aduerſarios, neceſſe eſt, vt magna quadam, & excellenti virtute ſit præditus. Quin etiam ſi nihil aliud eſſet, illud ipſum, quod in Cardinalatu ſuſcipiendo ſolemniter eis à Pontifice denunciatur, & quod ipſi admittũt, & tacite ſpondent, vt ad ipſum ſanguinem pro Dei honore, & Eccleſiæ defenſione profundendum prompti ac parati ſint, tanta res eſt, vt præſtari non poſſit, niſi à ſanctis viris, atque perfectis. Is enim actus eſt ſummæ charitatis, quoniam vt ipſe Dominus docuit, maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam pro altero ponat. *Ioan. 15.*

Poſtremo eſt etiam illa ſimilitudo, quam dixi cœleſtis Hieruſalem. Intelligendum enim eſt, magnam eſſe ſimilitudinem, ac proportionem inter

Eccle

Ecclesium, quæ est in terris, & eam, quæ est in cœlis. Ita enim ait Bernardus, quia, inquit, non potest filius facere quicquam, nisi quæ viderit patrem facientem, præsertim cum ei sub Moysi nomine dictum sit, *Vide ut omnia facias secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Viderat hoc qui dicebat: *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo paratam.* Hanc autem similitudinem addit Bernardus in eo maxime sitam esse, quod sicut illic varij sunt ordines, ac hierarchiæ Angelorum, Archangelorum, aliorumque vsque ad summum Deum, ita hic quoque sua sit varietas munerum, ac classium, quoniam alij sunt Presbyteri, alij Abbates, Episcopi, vel Patriarchæ, aliique gradus vsque ad Pontificem, qui summus est. Ex qua comparatione ita ratiocinari licet, vt quēadmodum cœlestes illi ordines, ita distributi sunt, vt quo superiores, eo perfectiores sint, diuinisque donis ornatiores, idem hic quoque in his ordinibus esse oporteat, idque & recta ratio, & Dei voluntas requirat, qui

Lib. 3. cōsid.

Exod. 25.

Apoc. 21.

qui omnia ordinatiſſime fecit. Quod ſi ita eſt, ne illud quidem dubitandum, quin Cardinalium ordo, qui ſummus eſt poſt Pontificem, illi ordini reſpondeat, qui eſt poſt Deum altiſſimus, id eſt Seraphinis ipſis. Ex quo ſequitur nimirum oportere, vt quemadmodum eorum locum, ſic etiam ſanctitatis eminentiam, repræſentent: atque vt beati illi Seraphini adeo ab hiſce terrenis rebus abhorrentes, adeo cum Deo coniuncti ſunt, eiuſque amore incenſi, adeo ei ſemper aſſiſtunt, vt nuſquam alio faciem, ac mentem auertant: ſic Cardinales non ſolum ad perfectionem conniti debent, ſed ita conniti, vt reliquos omnes in hac perfectione, in charitatis ardore, in rerum mortalium contemptu facile antecellant. Hoc enim poſtulat, vt dixi, loci ipſius, in quo ſunt celſitudo, quam niſi vitæ virtutiſque celſitudine tueantur, & ſe ipſos, & loci auctoritatem, maieſtatémque dedecorant.

In quibus consistat hæc perfectio, quæ requiritur in Cardinali.

CAPVT VIII.

SI verum est, quod modò tractauimus,totque argumentis confirmauimus,necessariũ esse Cardinali,vt iam sit perfectus, & perfectam ex omni parte vitam ducat, idque ab eo statum ipsum exigere; facile est iam videre, quid ex hoc fundamento sequatur. Sequitur enim omnes, qui in hoc gradu sunt,omnem suam curam,studium, industriam eo conferre debere, vt hoc opere,& reipsa expleant,quod professione præ se ferunt; itaque se componant, vt ad sanctitatem, & perfectionem, in omnibus suis factis, dictis,& cogitationibus aspirent. Nam & si perfectio omni homini ita conuenit, vt si adsit, magnum afferat ornamentum,si absit,magna sequatur deformitas;tamen hæc ipsa deformitas,eo magis augetur, quo magis debuisset inesse perfectio. Vt lapidi, aut stipiti, si

visus

viſus deſit, non ideo turpiora ſunt, at ſi animanti deſit, fœdum eſt, & inutile. Atque vt ſimilitudinem capiamus, ex rebus exteris, quæ ſenſus mouent, ſi Cardinalem prodire in publicum contingat ſine purpura, & ſine iis ornamentis, quæ illi ordini hominum more, vſuque congruunt, contra vero ſacco, aut pannoſis baiuli veſtibus indutum, quam ipſum pudeat, quam omnes offendat? Quid igitur ſi interioti illo habitu, qui multo magis Cardinali, quam hic externus conuenit, ſpoliatus, & vulgaris vitæ vitiis deformatus incedat? Atque eſt etiam aliud, quod ex ſuo ipſius ſenſu, & iudicio mouere poſſit Cardinalem. Cogitet enim quiſque apud ſe, cum de Monacho, aut religioſo aliquid audit, quod ſtatum illum non deceat, quantum indignetur, quibus verbis inuehatur, quos carceres, quæ ſupplicia intentet. idque non immerito, quoniam cum vir religioſus perfectionem profiteatur, iure ab eo exigitur, quod profitetur. Atqui iam proximo capite demonſtratum eſt, Cardinalium ſtatum multo magis obligari ad perfe

perfectionem, quam ſtatum religioſum, quare ſi eam non habeant, turpius etiam eis eſt,quam religioſis.Hoc igitur primum,ob has,& ob alias, quæ afferri poſſent rationes omnino apud animum ſuum, decernat Cardinalis, perfectionem ſectari ſuo ſtatui congruentem, omneſque alias curas, & cogitationes huic vni curæ,& cogitationi poſtponat hanc ſemper ante oculos habeat, huc cæteras dirigat. Quod ſi deinde quæratur, quænam ſint,in quibus conſiſtat hæc perfectio, & quæ requirat, ea quidem non ita multa ſunt,nec ita grauia, vt pertimeſcas, ſed ad tria capita reuocari poſſunt. Primum eſt vt à malo declines, id eſt peccata fugias, & ea præcipue, quæ grauiora ſunt, & quæ ideo mortalia appellantur, quoniam mortem animæ afferunt, multo horribiliorem, quam corporis. Vitam enim eripiunt, ſine comparatione meliorem, & nobiliorem,& certe diuinám. Quare ita animo conſtitutus eſſe debet Cardinalis,vt quiduis potius ferat, & quiduis patiatur, quam vt ſuum creatorem, ac Dominum tam grauiter offendat,

fendat, & cum vel odorem aliquem talis peccati teterrimum sentit, ita se auertat, ita refugiat, atque auersetur, vt pestem, vt exitium. Sed hoc quidem commune est omnibus, etiam laicis, ac plebeis, & certe parum admodum tali Ecclesiæ Prælato, neque tam magna laus, si fiat quam magna culpa, si non fiat. Quare aliquid amplius etiam in hoc genere ab ipso exigendum est.

Epist. 25. Recte enim S. Ambrosius, *Non mediocris*, inquit, *est virtus, Sacerdotalis, cui cauendum non solum ne grauioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem.* Neque enim ideo contemnenda, quia parua videantur, quia si Deum spectemus, Deique dignitatem, nulla offensa, quæ in eum committatur, leuis videbitur. Si vero damna nostra spectemus, hæc etiam nemo leuia reputabit,

3. p. past. adm. 34. quoniam vt ait S. Gregorius, pluuiarum guttæ exiguæ sunt, sed quia multæ magnos fluminum gurgites efficiunt, & nauigio tantum nocet sentina latenter per rimas excrescens, quantum procella aperte sæuiens, vtraque enim demergit & obruit, sed illa sensim, hæc statim. Et minu-

ta

ta ſunt quæ erumpunt in membris per ſcabiem vulnera, ſed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, ſic vitam corporis, ſicut vnum graue inflictum pectori vulnus necat. Hinc videlicet ſcriptum eſt, *Qui modica ſpernit, paulatim decidit.* Qui enim peccata minima flere, ac deuitare negligit, à ſtatu iuſtitiæ, non quidem repente, ſed partibus totus cadit. Hæc Gregorius veriſſime, ex quibus intelligere poſſunt omnes, ac præſertim Cardinales, quam ſibi obfirmanda ſit mens etiam aduerſus ea peccata, quæ vulgo ita contemnuntur, vt paſſim incidant. Atque in his etiam eſt aliqua differentia. Etſi enim omnia ſunt fugienda, tamen multo magis nocent, quæ ex habitu quodam fiunt: Nam iraſci, exempli cauſa, iactare ſeſe, velle honorari, indignari ob negatum honorem, ocioſas nugas loqui, ſpectare inutilia, gulæ indulgere, & alia eius generis pene infinita, ſi ex habitu proueniant, multo ſunt damnoſiora, quam ſi ex repentina quadam incitatione; quoniam & frequentius committuntur, & minus aduertuntur, & denique *Eccle 19.*

diffi

difficilius extirpantur. Quare in his etiam, tum cognoscendis, tum profligandis, omnis est à Cardinali adhibenda diligentia.

Alterum caput huius perfectionis est, virtutum ornatus, & quidem omnium. Quemadmodum enim cui brachium desit, aut tibia, non potest pulcher dici, etiamsi alia membra habeat, sic qui, aut pluribus, aut etiam vna virtute destituatur, licet alias habeat, non modo non potest dici perfectus, sed ne bonus quidem, quia quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omniũ reus, vt docet Iacobus Apostolus. De his igitur virtutum ornamentis egregie S. Bernardus ad Eugenium, vbi ait, omnes quidem erubescere debere, cum iis nudati sunt, sed multo magis, qui in loco eminenti sunt, quia quo quis illustrior, eo sine his insignibus deformior. Nunquid, inquit, potest abscondi ciuitatis supra montem positæ desolatio, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? Simia in tecto rex fatuus in solio sedẽs. Monstruosa res gradus summus, & animus

Iacob. 2.

Lib. 2. de consid.

animus infimus, ſedes prima, & vita ima, lingua magniloqua, & manus ocioſa; ſermo multus, & fructus nullus, vultus grauis, & actus leuis, ingens auctoritas,& nutans ſtabilitas.

Tertia pars huius perfectionis eſt exequutio quorundam conſiliorum, quæ à Saluatore noſtro tum exemplo, tum etiam voce tradita ſunt, cuiuſmodi eſt abnegare ſeipſum,in multis,ei qui nobis male fecerit, vltro bene facere,conformare omnino voluntatem ſuam diuinæ voluntati,libenter pati aduerſa pro Chriſti nomine, iiſque gaudere, & alia huius generis, quibus plenum eſt Euangelium. Hæc autem licet aliis vulgaribus hominibus,non ita fortaſſe neceſſaria ſint, iis tamen,qui quaſi arcem perfectionis in Dei Eccleſia tenent,ita conueniunt,vt niſi faciant,peccare videantur.Nam vt rudi,& illiterato ſatis eſt,ſi in loquendo non erret,immo etiam errata quædam condonantur,at vero ab Rhetore plus requiritur,vt eriam ornate, & eleganter loquatur,ita etiam Cardinali non ſufficiunt illa communia,& mediocria, ſed ſtatus ipſe excellentiam

quan

quandam ſanctitatis profitetur. Quo fit, vt quemadmodum dixi, non ſolum omnes virtutes, ſed eximios etiam quoſdam gradus omnium virtutum ab his exerceri oporteat. Itaque, vt cum aliquis in Cardinalium numerum cooptatur, tanta fit mutatio rerum omnium externarum, videlicet in veſtibus, in domo, in ſupellectili, in famulis, & familia, & denique tota viuendi ratio commutatur, & transfertur in rationem aliam adeo diſſimilem, & quidem longe ſplendidiorem: ſic mihi videtur idem omnino fieri debere in interioribus, vt nouus Cardinalis noua ſtatim induat conſilia, nouas cogitationes, nouum ſpiritum, nouum animum, eumque illi ſtatui, & illi vocationi, qua eum Dominus dignatus eſt, conuenientem. Cum Samuel diuino iuſſu Saulem vnxiſſet in
2. *Reg.* 10 Regem, illud etiam præter cætera prędixit, *Inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis in virum alium.* idque paulo poſt cum omnium admiratione euenit. Similiter etiam cum Moſes ſeptua-
Num. 11 ginta viros adlegiſſet, quorum opera in tanto populo gubernando ſubleuare

uaretur, ita ſcriptum eſt, deſcendiſſe in nube Deum, & abſtuliſſe de eius ſpiritu, & dediſſe illis ſeptuaginta, & quidem indicio manifeſto, cum ſtatim prophetare cœpiſſent, ſtupentibus omnibus rei nouitate. Hæc igitur eadem mutatio in Cardinalis pectore fieri debet, cum ad tantum munus aſciſcitur, vt ipſe quoque aliam mentem, & cor aliud concipiat, totumque ſeſe Deo domino, & eius ſponſæ Eccleſiæ in eo miniſterij genere dedat, & conſecret. Atqui hæc perfectio de qua loquuti ſumus, quamuis multa, ac varia complectatur, tamen ſi eius quaſi breuem deſcriptionem, ac ſummam velimus, licet eam ſumere à S. Bernardo, qui his coloribus viuis ſane, & aptis bonos Cardinales expingit. Sint, inquit, compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubiecti ad diſciplinam, rigidi ad cenſuram, Catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationem, concordes ad pacem, conformes ad vnitatem. Sint in iudicio recti, in conſilio prouidi, in iubendo diſcreti, in diſponendo indu *Lib. 4. de conſid.*

induſtrij, in agẽdo ſtrenui, in loquendo modeſti, in aduerſitate ſecuri, in proſperitate deuoti, in zelo ſobrij, in miſericordia non remiſſi, in ocio non ocioſi, in hoſpitio non diſſoluti, in conuiuio non effuſi, in cura rei familiaris non anxij, alienæ non cupidi, ſuæ non prodigi, vbique & in omnibus circumſpecti. Hæc Sanctiſſimus ille pater de Cardinalibus.

De particularibus virtutibus quas habere debet Cardinalis, & primum de prudentia.

CAPVT IX.

CVm hæc de perfecto Cardinali neceſſaria in vniuerſum dicta ſint, dicendum nunc eſt de ſingulis virtutibus, ſine quibus hic locus recte, & cum dignitate teneri non poteſt. Primum autem occurrunt quatuor illæ, quæ Cardinales ipſæ quoque vocantur. Quid enim magis conueniat homini Cardinali, quam Cardinales virtutes, non ſolum ob nomen, ſed etiam

Digitized by Google

etiam ob rem, quoniam omnes humanas actiones moderantur, quæ sibi absint, innumerabilia peccata sequi necesse est. Ex his igitur prima est prudentia. tum quia, vt ait Aristoteles, lumen est reliquarum, tum etiam quia non modo ornamentũ, sed pene fundamentum est huius muneris, de quo loquimur. Nam cum Cardinales ad hoc instituti sint, vt sint Põtificis Consiliarij perpetui, quomodo id ab eis præstari poterit sine prudentia,& quidem magna,& insigni? Etenim si Principis cuiusuis Consiliariũ prudentem esse necesse est, quanto magis vniuersalis Principis totius Ecclesiæ diffusæ per orbem terrarum, ad quem ex toto orbe grauissima,& maxima,& difficillima negocia referuntur: Itaque vt à Medico, vt à Iurisperito, vt etiam à pictore, vel à quouis artifice suæ artis, quam quisque profitetur, scientia exigitur,& nisi eam teneant, non solum ridentur ab hominibus, sed peccant apud Deum, ita hæc est, vt ita dicam, ars Cardinalis consilia dare, suggerere rationes,& vias ad explicandos nodos, cum incidunt dubios, probare quæ

6. ethic. c. vlt.

probanda ſunt, & contra diſſuadere, quæ non ſunt vtilia. Quare qui prudentia, & rerum cognitione non polleat, nullo modo hoc tam præclarum munus pro dignitate tueri poterit. Hac vero virtute inſtructus Cardinalis, tum præſentia perpendet, & quid in quaque re veriſſimum ſit, perſpiciet, tum etiam futura cogitatione præcipiet, nec vnius tantum partis commoda penſabit, ſed aliquanto ante conſtituet, quid in alteram quoque partem accidere poſſit, ne aliquid ei ſubitum, aut repentinum accidat, quod non præuiderit. Hoc enim vel præcipuum eſt prudentiæ officium. Atque eiuſdem eſt etiam fugere ſemper extrema, ita vt neque laudentur omnia, neque omnia damnentur, neque omnia concedantur, neque rurſum omnia negentur, neque ſemper, & omnibus credatur, neque contra nulli credendum ſtatuatur: item vt neque propter paucorum culpam multi condemnentur, neque propter paucorum probitatem alij ſine delectu approbentur. Eſt etiam prudentiæ regula, non ſpectare vel antiquitatem rerum,

rerum, vel nouitatem, vt vetera omnia laudentur, omnia recentia reiiciantur, ſed ſuis ſingula momentis æſtimare,& omni præiudicio remoto, vt quæque res per ſe meretur, ita de ea ferre ſententiam. Item non decipi externa ſpecie, rerum, neque ex eo quod foris oſtendunt definire, neque aliorum opinione abduci, præſertim vulgarium, ſed in omnibus niti ratione, rectoque iudicio. Ante omnia vero vt grauitas animi, & moderatio prudentiæ eſt; ſic contra leuitas, & nimia quædam facilitas imprudentiæ. Itaque in his præſertim quatuor, debet Cardinalis, cui homines multi, & negocia multa tractanda ſunt, cautionem adhibere, in loquendo, in credendo, in promittendo, in concedendo. Sic enim ſcriptum eſt, *Qui cito credit, leuis eſt corde,* Eccle. 7. itemque, *Totum ſpiritum ſuum profert* Prou. 19. *ſtultus, ſapiens differt, ac reſeruat in poſterũ.* Quo ſignificatur nõ eſſe prudentis, vel iudiciũ ſuũ, de quibuſuis rebus ſtatim proferre (quod qui facit ſæpiſſime eum errare neceſſe eſt) vel in calore ſermonis omnia expromere. Facile

enim excidunt, quæ magno emeretur non esse dicta. Ad hanc etiam pertinet, non esse promptum ad irascen-
Eccles.7. dum. Sic enim monet sapiens: *Ira in sinu stulti requiescit*, idque significat non adesse maturitatē quandam mentis, quæ quidem perpetua est comes huius virtutis, nec vnquam ab ea seiungitur. Atque hæc sane, & alia huiusmodi sunt officia prudentiæ.

Sed intelligendum est, atque etiam magnopere in hac parte obseruandum, vt est quoddam aurum fucatum, & adulterinum, quod non nisi à peritis discerni possit, ita esse genus quoddam prudentiæ omnino falsæ, & adulterinæ, quæ scilicet politica appellatur. Hæc autem humanum aliquid semper spectat, & quidem proprium, atque ad id etiam humano artificio adnititur. Itaque optime sic eam descri-
10. *mor.* bit S. Gregorius. Huius mundi sapien-
c. 26. tia, inquit, est cor machinationibus tegere, sensum verbis celare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vani

vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cum vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere, cum virtutis poſſibilitas deeſt, quicquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare. Atque hanc quidem mundi ſapientiam duplicitatem, non ſapientiam eſſe docet. Vt igitur veræ, ſolidæque prudentiæ vim tenere poſſimus, intelligenda eius natura, quam ita definit S. Thomas, vt recto, & vero fine poſito, vias deinde, & rationes, aptas applicet, ad eum conſequendum. Ex quo ſequitur, niſi verus ſit finis, non poſſe veram eſſe prudentiã, ſed potius calliditatem vel aſtutiam, aut aliquam eiuſmodi vitioſam ſolertiam. Hic autem finis omnium quidem hominum generalis, eſt æterna vita, ad quam omnes à Deo facti ſunt, peculiaris autem is quem ſuus cuique ſtatus proponit vt Cardinali de quo hic loquimur, Eccleſiæ propugnatio, propagatio diuini honoris, ſubleuatio Summi Pontificis, denique totius ſui officij exequutio. Quare vera prudentia huc aſpirare, & huc conniti debet, & qui in his ſeſe 1.2.q.42. a.6.

ſtrenuum præſtat, ille vere prudens habendus erit. Qui vero pro ſuis commodis laborat, qui ſuæ priuatæ vtilitati, aut ſuæ ambitioni ſtudet, qui ſibi aditum ad opes, ad amplitudinem, ad potentiam, adulando, ambiendo, aucupando Principum gratiam, ſtruit, huius quidem omnino falſa eſt prudentia, & potius, vt diximus, malitia, & calliditas, quæ vult illa quidem ſe videri prudentiam, ſed abeſt ab ea, diſtatque plurimum. Eſt autem hoc vitium tum aliis periculis expoſitũ, tum maxime huic pœnæ iuſtæ, & debitæ, quod qui ita vitam ſuam inſtituunt, nec à Deo æterna præmia referunt, quæ ſcilicet ipſimet minime quærunt, nec tamen plerumque ad illa ipſa temporalia perueniunt, pro quibus adeo laborant. Sic enim S. Auguſtinus Iudæis contigiſſe ait, vt quia in Chriſto recipiẽdo temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitarunt, vtrumque ſimul amiſerint, quoniam, & in Dei, & Romanorum ipſorum iram, odiumque inciderũt. Quod idem multis etiam olim Cardinalibus iuſto Dei iudicio eueniſſe ſcimus, vt

Tract. 49 in Io.

cum

cum ad Pontificatum ſibi conciliandum, aut ad familiæ ſtatum illuſtrandum, & amplificandum hominũ amicitias multis artibus ambierint, Deum primum offenderint, nec tamen quod volebant, aſſequuti ſint, ſæpe etiam nullos magis infenſos habuerint, quã eos ipſos, quorum cauſa peccaueranr. Ego vero neſcio quæ melior, & ſanctior, poſſit eſſe prudentia, quam Deo fideliter ſeruire, eiuſque honorem, & obſequium ex animo procurare; & ſi quid expectandum eſt, ab ipſius manu ſperare. Si enim creditur, vt eſt omnino credendum, omnia eius nutu, & arbitrio regi, quæ ſtultitia eſt confidere in Principibus, & in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus, & confidere cum ipſius Dei offenſione? Quare vt concludamus, illa mihi videtur vera, ac germana, & bono Cardinali digna prudentia, quam S. Bernardus ipſe indicat, in Epiſtola quadam ad Rollandum Cardinalem, & Cancellarium, quem monet primum, vt quoniã Deus illum ordinauerat conſolatorem, & Conſiliarium Eugenio Papæ, ſolicitus ſit, cauteque obſeruet ſecundum

Pſal. 145

Epi. 334.

datam ſibi ſapientiam, ne forte inter tam multiplicium negociorũ tumultus malignorum fraude circumueniri poſſit, vel ſubripiatur ei verbum, quod indignum ſit Pontificis dignitate. Ecce igitur quomodo adhibenda prudentia. Sed addit deinde qualis eſſe debeat. Cura, inquit, dilectiſſime, & deſideratiſſime Pater, etiam in hac diſpenſatione inueniri fidelis Domini ſeruus, & prudens, quatenus & pro te faciat columbina ſimplicitas, & pro ea, quæ tuæ quam maxime fidei, & ſolicitudini credita eſt, Domini tui ſponſa aduerſus venenatas maligni, & antiqui ſerpentis aſtutias, militet prudentia ſerpentina, & in vtraque glorificetur Deus. Hoc idem igitur ab omnibus Cardinalibus ſeruandum, & exequendum eſt.

Quo modo acquiri, vel augeri poſſit in Cardinali prudentia.

Caput X.

QVæret aliquis fortaſſe, an vt alias virtutes ſtudio, & diligentia comparare poteſt Cardinalis, ſic etiam pru

prudentiam. Omnino hoc eiuſmodi bonum eſt, vt potius naſcatur cum homine,quam induſtria acquiri poſſit. Eſt enim naturale, vt ingenium ad intelligendum, ita hoc acumen ad perſpiciendum; multum etiam ex ipſius corporis conſtitutione, & qualitate pendet, quo fit, vt alios obtuſiores, & tardiores, alios autem acriores, & perſpicaciores videamus. Sed tamen hoc vere dicere poſſumus, vt ſi prudentiæ lumen nullum ſit, vel admodum tenue, fruſtra laboretur,ita ſi aliquod ſit,quanquá mediocre,id quodcunque eſt,adhibito ſtudio excitari,& augeri poſſe. Dabis vero, Frater Illuſtriſſime, hanc veniam amori aduerſus te meo, vt oblitus amplitudinem perſonæ,quam ſuſtines, vtar paulo liberius ætatis,& profeſſionis, ac ſtatus mei iure, tibique nouo Cardinali in tantum curarum, ac negociorum pelagus ingredienti, huius, aliarumque virtutum rationem frater ſenior, atque ab adoleſcentia in ſchola perfectionis educatus ipſe præcipiam, doceamque te pauca ex iis,quæ à maioribus ego in religione didici,& quotidie

discо.Hoc igitur ſtudium, quo augeri prudentia ſolet, in duobus potiſſimum adhibere debes, alterum eſt, in remouendis prudentiæ impedimentis, quæ tanquam nebulæ lucem eius obſcurant : alterum, in aſciſcendis quibuſdam adiumentis. Impedimenta autem, quæ quidem ad rem faciunt illa ſunt, paſſio, præcipitatio, obſtinatio propriæ ſententiæ, addo etiam vitia omnia, præſertim vero intemperantia tum omnium voluptatum, tum maxime fœdioris. Nam paſſio obſcurat, & præcipue ira, præcipitatio non præuidet, pertinacia aditum obſtruit bonis conſiliis. De luxuria autem nihil attinet dicere, cum S. Gregorius affirmet eius filias eſſe mentis cœcitatem, inconſiderationem, inconſtantiam, & præcipitationem ipſam. Denique quod ad reliquos etiam mores attinet, præclare illa à B. Ambroſio ſcripta ſunt, In acquirendis, inquit, conſiliis plurimum adiungit vitæ probitas, virtutum prærogatiua, frugalitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? quis ex turbida aqua potum petat? Addit alia, & hoc ad extremum, Su-

31. moral. c. 17.

2. off. c. 12

per

per me esse debet, cui me committere paro, & qui consilium dare volet, alienam à vitiis custodire debet prudentiam, quia nihil inquinatum incurrit in illam. Hæc sunt igitur inimica prudentiæ, quæ illi, si qua sit, caliginem, ac tenebras offundunt. Si vero de adiumentis loquamur, ad eam alendam, & prouehendam, illud in primis iuuat, nihil temere, aut inconsulte, vel negligenter agere, sed sumpto ad cogitandum spatio, diu, multumque res expendere, eoque magis, quo rerum qualitas id exigit. immo vero omnia circunspicere, & considerare, quæ consequi, aut quæ ex illis, quæ tum fiunt oriri possint, vt seruetur illud sapientis præceptum, Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Nã qui sine consilio, & quasi subito quodam vento ad res agendas impellitur nulla consideratione, aut meditatione, sine dubio errabit in maximis rebus, & multa committet, quæ postea cõmissa nolet, nec tamen reuocare poterit. Iuuat etiam attentio, & animaduersio eorum, quæ accidunt: neque vnquam *Prou.4.*

prudens efficietur, qui rerum,& consiliorum secum non reputat euentus. Quare confert, vt dixi, cum negocia aliqua iam effluxerint,eorum initium, progressionem, exitum considerare, ac notare, secum, in quo sit erratum, quid prætermissum,aut quid etiam recte prudenterque factum,hoc vt deinceps etiam teneatur, illa, vt in posterum fugiantur. Hæc enim obseruatio quotidie prudentiam auget, nec alia est causa, cur senes prudentiores sint, nisi quia multa viderunt,multa experti sunt.Sed hæc experientia nihil sane, aut perparum efficit, nisi etiam accedat consideratio, de qua loquimur, quoniam alioquin elabuntur omnia, non modo ex memoria,sed etiam ex cognitione. Denique ad augendam prudentiam prodest admodum Cardinali perspectum habere nationum omnium, ac præcipuarum etiam vrbium statum, ac conditionem, qui in eis Principes, qui mores, quæ animorum inclinationes, quæ partes, quæ etiam potentia, vel armorum, vel aliarum rerum:prçcipue vero quç ad religionem attinent, quis cursus,

& vigor Catholicæ fidei, aut ſi ea labefactata ſit, quæ ſpes eius redintegrandæ, quæ ratio, quæ præſidia ad eam, vel reuocandam, vel ſuſtinendam. Ex hac enim notitia multa Cardinalibus commoda conſequuntur, quoniam ea quaſi luce illuminantur eorum conſilia ad quæſtiones, quæ interdum incidunt, ad negocia, quæ proponuntur, ad poſtulata, quæ à magnis viris afferuntur, quæ vel promoueri, vel ſi ita opus ſit, reiici melius poſſunt, argumentis ex ipſa materia petitis, eaque res non ſolum Eccleſiæ vtilitatem, ſed ipſi quoque Cardinali exiſtimationem, atque auctoritatem hominis gnari, prudentiſque conciliat; Et certe turpe eſt ei, qui in quadam Eccleſiæ Catholicæ vigilia poſitus eſt, non ſic excubare, vt tum eius vniuerſæ ſtatum, tum etiam partium eius perſpectum habeat. Hanc igitur cognitionem, ſine qua ſemper in tenebris verſabitur, haurire poterit à viris peritis, & intelligentibus, qui eorum, quæ dixi locorum conſuetudinem habeant; quos cum nactus fuerit (debet autem diligenter inquirere) ita

auide

eiuſdem iniuſtitiæ eſt particeps. Difficile eſt autem non aſſentiri, niſi iuſtitiæ armis bene munitus ſit. Illud etiam frequentius, ac pene quotidianum Cardinali, vt ei ſupplicetur pro multis, qui indigni ſunt eius patrocinio, & commendatione. Quo in genere cauere debes, ne ſis adeo mollis, aut ambitioſus, vt nulli homini tuam operam negare audeas, neque quicquam penſi habeas, vtrum ille, cui faues, bonus ſit, an malus. Denique ne ſufficiat aditum per amicos, & familiares tuos habere, vt quicquid libeat, impetretur. Quod ſi charitate fieret, & ſi hæc charitas nimis imprudens eſſet, quod in veram charitatem non cadit, tamen facilius ignoſci poſſet. Verum id quidem non niſi ambitione impulſus quis fecerit, nec aliorum gratia, ſed ſua, Pulchrum nimirum putans, ſibique ipſi glorioſum habere, qui ad ſe adeãt, qui ſuam opem implorent, qui domum frequentent, quo ſcilicet videatur gratioſus. Videntur autem mihi qui ita faciunt, expoſiti eſſe ad omnem ventum, & ad omnem impulſum, & ſimillimi quorundam militum, qui

parati

parati ſunt ad omnia bella, quicunque ſtipem oſtendat, neque diiudicant, ſintne iuſta bella,& ratione ſuſcepta; ſic enim hi quoque ſunt, vt ita dicam, primo occupantis. Quare vt milites illi peccant,ſic iſti quoque ſciant, ſe à peccato immunes non eſſe, præſertim ſi id agant, vt ad honores, ad gradus, ad Eccleſiaſtica beneficia promoueãt eos quí vel indigni ſunt, vel de quibus non ſatis eis conſtat an ſint digni. Quod cum per ſe iniuſtum eſt, tum multo iniuſtius, cum alij digniores excluduntur, quod tamen euenit ſæpe. Itaque Aluarus Pelagius vir doctiſſimus,& iiſdem pene verbis B. Antoninus inter alia Cardinalium peccata,hoc quoque commemorant, impetrare beneficia indignis,ſiue ſuis,ſiue alienis propter preces, & commendationes Principum, aut aliorum, vel ob proprium affectum. Iure itaque Vrbanus Sextus, qui vt ſcriptum eſt, ſtatim atque renuntiatus eſt Pontifex, Cardinalibus omnibus ad ſe vocatis grauiſſimam pœnam ſeuere interminatus eſt iis, qui iniuſtas cauſas foue-

Lib.2. de planct Eccleſ.c. 16.p.3. tit.21.c.2

rent, aut etiam qui in cauſis iuſtis mu-

nera

auide audiet, ita omnia ſcrutabitur, & notabit, vt in re magni momenti, & magnopere ad ſuum officium pertinente. Nec ſolum præſentium rerum notitia quærenda eſt, ſed etiam præteritarum, quoniam ſæpiſſime multum conferunt ad præſentes. Sed vt illa ab hominibus peritis, ita hæc à libris ſcriptis peti licet. Sunt enim multi qui de ſingulis nationibus, aut prouinciis ſcripſere, pro ſuo quiſque ingenio, aut commoditate, vt Polydorus Virgilius de rebus Anglicanis, Sanderus de recenti ſchiſmate; de Gallicis Paulus Æmilius, Ambroſius Morales de Hiſpanicis, Albertus Crantius de Polonia, aliiſque Aquilonaribus, Thomas Fazellus de rebus Siculis, Auguſtinus Iuſtinianus Nebienſis Epiſcopus de Genuenſibus, aliique de aliis. Ante omnia tamen Cardinali tenendæ ſunt res domeſticæ, id eſt, ipſius Eccleſiæ, quæ ſæpius in conſultationem cadunt. Quare in hoc etiam accuratius eum incumbere oportet. Quo in genere meo quidem iudicio Sigonij annales optimi, & tum ad breuitatem, tũ ad doctrinam aptiſſimi. Quod

ſi

ſi vberiorem talium rerum cognitionem expetas, ſuppetunt Eccleſiaſtici Annales Baronij, quos quidem (vt principia ſe dant) tales fore auguror, vbi facile expleas accuratæ perceptionis rerum Eccleſiaſticarum ſitim. His igitur artibus,ac ſtudiis licebit Cardinali prudentiæ lumen augere, & in dies confirmare.

Quomodo Cardinalis iuſtitiam colere debeat.

CAPVT XI.

SEquitur iuſtitia,virtus vel maxime neceſſaria Cardinali. Et ſi enim hoc munus non habet iuriſdictionem adiunctam vt habet Epiſcopatus, tamen propter magnitudinem negociorum, quæ in hoc Romano quaſi totius Eccleſiæ foro, occurrunt,multa quotidie accidunt, quibus contra iuſtitiam peccari poſſit. Sæpe enim Principum cauſæ, vel poſtulata parum æqua, immo etiam aliis damnoſa tractantur, quibus qui aſſentitur,

eiuſdem

eiuſdem iniuſtitiæ eſt particeps. Difficile eſt autem non aſſentiri, niſi iuſtitiæ armis bene munitus ſit. Illud etiam frequentius, ac pene quotidianum Cardinali, vt ei ſupplicetur pro multis, qui indigni ſunt eius patrocinio, & commendatione. Quo in genere cauere debes, ne ſis adeo mollis, aut ambitioſus, vt nulli homini tuam operam negare audeas, neque quicquam penſi habeas, vtrum ille, cui faues, bonus ſit, an malus. Denique ne ſufficiat aditum per amicos, & familiares tuos habere, vt quicquid libeat, impetretur. Quod ſi charitate fieret, & ſi hæc charitas nimis imprudens eſſet, quod in veram charitatem non cadit, tamen facilius ignoſci poſſet. Verum id quidem non niſi ambitione impulſus quis fecerit, nec aliorum gratia, ſed ſua, Pulchrum nimirum putans, ſibique ipſi glorioſum habere, qui ad ſe adeãt, qui ſuam opem implorent, qui domum frequentent, quo ſcilicet videatur gratioſus. Videntur autem mihi qui ita faciunt, expoſiti eſſe ad omnem ventum, & ad omnem impulſum, & ſimillimi quorundam militum, qui

parati

parati ſunt ad omnia bella, quicunque ſtipem oſtendat, neque diiudicant, ſintne iuſta bella,& ratione ſuſcepta; ſic enim hi quoque ſunt, vt ita dicam, primo occupantis. Quare vt milites illi peccant,ſic iſti quoque ſciant, ſe à peccato immunes non eſſe, præſertim ſi id agant, vt ad honores, ad gradus, ad Eccleſiaſtica beneficia promoueãt eos qui vel indigni ſunt, vel de quibus non ſatis eis conſtat an ſint digni. Quod cum per ſe iniuſtum eſt, tum multo iniuſtius, cum alij digniores excluduntur, quod tamen euenit ſæpe. Itaque Aluarus Pelagius vir doctiſſimus,& iiſdem pene verbis B. Antoninus inter alia Cardinalium peccata,hoc quoque commemorant, impetrare beneficia indignis,ſiue ſuis,ſiue alienis propter preces, & commendationes Principum, aut aliorum, vel ob proprium affectum. Iure itaque Vrbanus Sextus, qui vt ſcriptum eſt, ſtatim atque renuntiatus eſt Pontifex, Cardinalibus omnibus ad ſe vocatis grauiſſimam pœnam ſeuere interminatus eſt iis, qui iniuſtas cauſas foue-

Lib.2. de planet Eccleſ.c. 16.p.3. tit.21.c.2

rent, aut etiam qui in cauſis iuſtis mu-

nera

nera acciperent. Et id quidem merito vt dixi. Nam hoc etiam iniuſtitiæ genus eſt, iuſtitiam exequi, modo iniuſto, quoniam ita præceptum eſt in
Deut. 16 diuina lege, *Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris.*

Verum hoc tibi quoque ſciendum eſt duplici modo à Cardinali iuſtitiam violari poſſe: primum cum vltro alteri infertur iniuria; quod quidem in homine Eccleſiaſtico non adeo frequens eſſe crediderim, vt de eo quicquam præcipiendum exiſtimem. Milites potius de hoc monendi, & ij, qui in armis vitam degunt, præclarumque putant, ſi vi, ac viribus ſuperiores videantur. Alterum igitur genus eſt, cum non quidem priores iniuriam facimus, ſed nobis ab aliis factam vlciſcimur. Quæ culpa in Cardinalibus niſi caueant eo facilior, & procliuior eſt, quoniam quo maior eſt eorum maieſtas, & quo magis ab omnibus coli, & honorari ſolent, eique rei aſſueti ſunt, eo deinde indignius ferunt, cum aliquo, vel dicto, vel facto violantur. Sed audiant hi, quid de hoc ipſo ſcribat S. Ambroſius in quadam

Epiſto

Epiſtola, Non hæc, inquit, ſola eſt for- *Epiſt. 25.*
ma iuſtitiæ, vt non lædas eum, qui te non læſerit, ſed etiam illa, vt etiam remittas ei, qui te læſerit. Etenim ſi iuſtitia virtus eſt, crimine debet vacare, nec improbitatem improbitate refellere. Quæ enim virtus hoc à te fieri, quod in altero ipſe punias? Contagio iſta improbitatis, nó vltio eſt. Nihil autem intereſt, cui malefacias, vtrum iuſto, an iniuſto, cum te malefacere non oporteat. Neque diſtat quo modo malignus ſis, vtrum iuſto vindicandi ſtudio, an voto nocendi, cum malignitas in vtroque genere non careat reprehenſione. Hæc Ambroſius. Tertium præterea genus eſt, iniuſtitiæ, ſi iniuria ab altero alteri facta non prohibetur, cum prohiberi poteſt. Hoc enim poſtulat etiam communis, & vulgaris charitas, quam omnibus debemus, vt aliena incommoda æque, ac noſtra doleamus, iiſque æque opem feramus: at vero in Eccleſiæ Principibus non ſolum id charitatis eſt, ſed etiã iuſtitię cuiuſdam. Sic enim idẽ Ambroſius alibi, cũ opti- *1. off. c. 28*
mam formam optimi clerici inſtitueret, Magnus, inquit, iuſtitiæ ſplendor,

quæ

quæ aliis potius nata, quam ſibi, communitatem, & ſocietatem noſtram adiuuat, excelſitatem tenet, opem aliis ferat, officia non abnuat, pericula ſuſcipiat aliena. Hoc igitur Ambroſio auctore, à iuſtitia poſtulatur, vt non ſolum ſubueniat aliis, ſed interdum etiam pericula aliena ſuſcipere non recuſet, ob eam ſcilicet cauſam, quia aliis potius, quam ſibi nata eſt. Quam ille ſententiam ſine dubio, vt multa alia in illis officiorum libris ab ipſo Cicerone ſumpſit, qui item ex veterum Philoſophorum ſententia, duo ſcribit eſſe iniuſtitiæ genera, vnum eorum qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis quibus infertur, ſi poſſint non propulſant iniuriam. Cuius quidem defenſionis prætermittendæ plures ait eſſe cauſas. nam aut inimicitias, aut laborem, aut ſumptus, ſuſcipere nolunt, aut etiam negligentia, & pigritia, vel ſuis rebus, propriiſque negociis impediuntur, quod affirmat vitium eſſe, perinde, ac ſi quis parentes ipſos, aut amicos, aut patriam deſerat. Hæc ille ex naturæ lumine. Quanto ergo magis id ſentiendum, & faciendum

dum erit Cardinali, cui cum tantus honor, tanta dignitas, & potentia data sit, vbi eam melius collocare possit, quam in ope ferenda quamplurimis? Quod etiam diserte docet S. Bernar- *Lib. 4. cō-*
dus, qui inter alia Cardinalium offi- *sid.*
cia, hoc quoque exigit, vt stent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro mansuetis terræ. Huc accedit quod Iob ille, cuius in meliori fortu- *Iob 29.*
na optimi Principis forma describitur, ita de se ipse commemorat. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Et loco eodem: *Eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor, & cor viduæ consolatus sum.* Adiungit autem cuius id virtutis esset, *Iustitia*, inquit, *indutus sum, & vestiui me, sicut vestimento, & sicut diademate, iudicio.* Hoc igitur idem tam glorioſum vestimentum, & hoc tam præclarum diadema, neminem magis ornat, nec vlli magis conuenit, quam Cardinali.

Extremum illud est ad iustitiam tuendam, quod ab omnibus tradi solet, de muneribus non accipiendis. Nihil enim ita animum seducit, ac peruertit,

uertit, vt munera; quod ostendit scriptura, tum sæpe alibi, tum exemplo filiorum Samuelis. de quibus ita scriptum est, *Declinauerunt post auaritiam, acceperunt munera, peruerterunt iudicium.* Vbi optime S. Gregorius, Notandum, quia ardor auaritiæ, causa est accipiendorum munerum, & acceptio munerum causa peruertendi iudicij, vt Prophetæ narratione huius vitij prauitas ostendatur, non solum qualiter in reproborum cordibus proficit, sed à Sanctorum mentibus qualiter extirpari possit. Nam si peruersitas ista iudicij ex acceptatione munerum nascitur, qui munera non accipit, iudicium non peruertit, & oblata munera leuiter respuit; qui auaritiæ radicem à corde suo penitus extirpauit. Igitur tum ad hoc periculum præcauendum, ne vllatenus res à recto, & æquo deducat, tum etiam ad integritatis laudem retinendam, quæ certe pluris est sola, quam omnes thesauri, atque diuitiæ, hoc faciendum est tibi, vt continentiæ studeas, manusque ab accipiendo intactas serues. Et quidem omnia omnimo respuere nimis fortasse du-

1. *Reg.* 8.

4. *in lib. Reg. c.* 4.

rum

rum foret. Multa enim ab amicis ex animi beneuolentia dantur, alia dantur ita leuia, vt nulla possit esse suspicio corruptelæ. Sed cum apparet eo dona tendere, vt animum deliniant, eoque inclinent, quo non decet, tum vero constantissime repudianda sunt, etiam si auri montes offerantur. In quo genere egregium sane factum, omnique dignum memoria, & certe ab omnibus Cardinalibus semper imitandum, illud est Martini Cardinalis, & S. Bernardo familiaris, quod ab ipso Bernardo descriptum ipsis eius verbis hic ponam. Is, inquit, Cardinalis Presbyter functus aliquando Legatione in Dacia, tam pauper remeauit, vt pene expensis, & equis deficientibus, vix perueniret Florentiam, ibi Episcopus loci donauit ei equum, quo Pisas vsque, vbi eramus tunc, peruectus est. Postridie, credo, sequutus Episcopus (erat enim illi causa cum aduersario, & agendi aderat dies) cœpit requirere suffragia amicorum. Cumque per singulos solicitaretur, ventum est ad Martinum. Fiducia erat maior in illo, qui non posset immemor esse *Lib. 4. consid.*

recen

recentis beneficij. Tum Martinus, Decepisti me, inquit, nesciebam tibi imminere negocium. Tolle equum tuum: ecce in stabulo est. Et eadem hora resignauit illi.

De fortitudine quæ in Cardinali esse debet.

Caput XII.

Erunt fortasse qui cæteras quidem virtutes Cardinali necessarias esse fateantur sed non videant, quomodo fortitudo ad eius laudem pertinere possit, cum non armis, & castris depugnet, sed in pacis artibus perpetuo versetur. Verum qui hoc sentiunt, nimiũ errant, nec satis huius virtutis vim intelligunt. Hæc enim virtus, vt optime
1. *off. c.* 36 scripsit S. Ambrosius, non in viribus tantum corporis, & lacertis consistit, sed magis in animo. In animo autem eodem auctore Ambrosio, hæc duo exigit: primum, vt externa corporis, inquit, pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda, magis, quam

expe

expetenda ducat. Deinde vt ea, quæ ſumma ſunt, omneſque res, in quibus honeſtas, & illud decorum præponendum cernitur præclara animi intentione vſque ad effectum proſequatur. Igitur, vt ab hoc poſteriore fortitudinis munere incipiamus, id quidem in hoc poſitum eſt, quod à te nouo Cardinali in primis requiritur, vt in negotiis, quæ ſæpe ardua, & multis impedimentis obſeſſa incidunt, pro re Chriſtiana, ne contrahas, aut demittas animum, vt ait ille, neue te obrui tanquam fluctu, rerum magnitudine, & difficultate ſinas, contraque erigas, ac reſiſtas, ſiue etiam vltro occurras negociis. Hoc enim eſt virilis pectoris, ac roboris. Præterea cum ſemel conſtitueris, quid ſit ex tuo officio, & ad Dei gloriam, atque obſequium pertineat, id deinde ſtrenue exequaris, neque ab eo vllum te vel periculum, vel damnum, vel mortis ipſius metus abſterreat. Sæpe enim Cardinali eiuſmodi tempora occurrunt, cum in Eccleſiæ iure tuendo, modo rei domeſticæ, modo honoris, atque alicuius dignitatis, interdum etiam vitæ diſcrimen

imminere videatur, ſed bono viro nihil tanti eſſe debet, potiuſque ad omnia detrimẽta paratum eum eſſe oportet, quam vt animum ad rem vllam tali loco indignam inflectat. Quo in genere magnopere celebratur Ioannes ille Turrecremata qui vixit annum circiter MCCCCL. Vir plane tum doctrina, tum omni virtute excellens. De quo ita ſcriptum eſt, tam excelſo fuiſſe animo, vt nunquam, vel precibuś, vel minis, in iis, quæ fidei, ac religioni, & omnino quæ Eccleſiæ vtilitatibus conducerent, à ſententia deduci poſſet: quare hoc quoque ſingulare cognomentum dum viueret adeptum, vt fidei defenſor appellaretur. Hanc eandem laudem tribuunt etiam Marcello Cardinali, qui deinde Pontifex eodem nomine fuit; Hic enim in Tridentina Synodo, vbi Apoſtolicæ Sedis legatus erat, Cæſaris miniſtris, neſcio, quæ intentãtibus, quæ Romanæ Cathedræ auctoritatem minuere videbantur, fortiſſime obſtitit, à qua ſententia nullis etiam terroribus qui admouebantur, vnquam potuit dimoueri. In quo diſcrimine exclamaſſe dicitur,

citur, posse quidem homines vitam sibi auferre,animum vero frangere non posse, suaque facta Summi Dei iudicio reseruari,qui pro suo cuique merito gratiam refert. Sed nihil tam illustre,quam Reginaldus Polus,quem in Galliam à Paulo Tertio Legatum,cum Rex Angliæ hostis infensissimus in suam potestatem redigere conaretur, idque per certos nuncios cum Francisco Gallorum Rege ageret,fideliter ab eo monitus, vt si saluus esse vellet,statim abiret, in eo tanto periculo , in re subita, cum omnes viæ armatis militibus,& grassatoribus,& Anglis ipsis refertissimæ essent,nihil vnquam de sua remisit constantia, & grauitate, immo vero comitibus omnib⁹ adeo exterritis,metuque trepidãtibus, vt nemo esset,qui crucem,vt mos est , Pontificiis Legatis,præferre auderet,ipsemet crucem sumpsit in manus,erectamque gestauit , donec famuli pudore impulsi eam repererent. Deinde cum in Belgium euasisset , nec tamen cessaret impius ille Rex ab insidiis moliendis , eiusque caput quinquaginta aureorum millibus proscripsis-

ſet, nec maius poſſet eſſe vitæ periculum, ſemper tamen pro munimento ſuam hanc fortitudinem tenuit, Dei fiducia nixam. qui ſane non defuit, opportune enim Leodium ab Euerardo Epiſcopo, & Cardinali humaniſſime inuitatus eſt, quo cum veniſſet, ibique audiret magnas quaſdam, vixque credibiles conditiones, quas Anglus Belgis offerebat, ſi ſibi Polum traderent, miratus hominis amentiam, ita dixiſſe fertur, ſe quidem iamdudum, vitæ huius tædio affectum, mortem optare, ac proinde, cum Henricus tanta ſua impenſa, & labore hoc ipſius deſiderium adiuuare conaretur, nihil aliud facere, quam ſi quis dormitum ire cupienti veſtes ipſas detrahere velit. O præclaram vocem, animumque dignum Cardinali, quam quidem vocem factis etiam comprobauit, Neque enim ante diſceſſit ex illo loco, quam à Pontifice reuocaretur, cum ita diceret, eſſe ſe in Pontificis poteſtate. Hæc igitur vel ſimilia in hac præſertim temporum perturbatione, in hac multorum licentia, ſiue etiam inſolentia, qui omnia ſe poſſe putant, non raro

eue

eueniunt, quibus ſane Cardinalis minime cedere debet, ſed potius contra eo audentior ire, vt etiam beatum ſe putet, ſi in Eccleſiæ cauſa, & in obſequio Chriſti, vitam ponere oporteat, vt contigit Iuliano Cæſarino, quem Martinus Quintus ob illuſtria merita fecerat Cardinalem. Nam cum ab Eugenio ad Ladislaum Poloniæ, & Vngariæ Regem Legatus eſſet, vt eum ad fœdus cum aliis Principibus Chriſtianis contra Turcam adduceret, ipſe quoque in pugnam proceſſit, in qua, exercitu fuſo, ac fugato, Iulianus ipſe comprehenſus, & iugulatus eſt, iacuitque miſere ſpoliatus inter vulgaria cadauera. Atque hæc quidem pericula rariora ſunt in homine Eccleſiaſtico, cuius vita ab armis, & præliis aliena eſt, ſed tamen ita omnes parati, & animo inſtructi eſſe debent, vt cum res, & cauſa poſtulat, ne ſanguini quidem parcant. Verum illa crebrior, ac pene aſſidua fortitudinis materia in reſiſtendo hominum importunitati. Hæc vero duplex eſt, interdum enim minis, & metu agitur, vt paulo ante dicere cœperam, interdum vero

amore, & gratia, qui est etiam affectus, magis efficax ad mouendum. Et si enim ille durior aries, quo animi arx quatitur, hic mollior, ac ne aries quidem sed occultus cuniculus, tamen eo ipso minus caueri potest, quia obrepit, & insinuat sese quodam sensu humanitatis, quo natura magnopere capitur. Itaque hic sunt importunæ preces, hic amicorum postulata, hic Principum auctoritas, denique intimorum, & maxime familiarium beneuolẽtia. His igitur omnibus resistere te oportet, ne à recto abducaris, & omni-
3. Reg. c. 2. no imitari Salomonis tum quidem optimi Regis constantiam, qui Matri ipsi, à qua genitus erat alienum quiddam petenti, assentiri noluit, vicitque in eo sapienter maternam gratiam, & reuerentiam. Quare vt ipse Regem se in eo potius, quam filium præstitit, sic qui istum locum in Ecclesia tenet, amicis inepte rogantibus Cardinalem se potius, quam amicum præstare meminerit. Hæc de priori fortitudinis officio.

Alterum officium, vt supra diximus, sed dicendum est paulo vberius

posi,

positum est in quadam mentis altitudine, quæ omnia præter Deum, pro nihilo habeat, contemnat, ac despiciat, honores, voluptates, diuitias, ex quo sequitur, vt casus omnes humanos, subter se habeat, patrimonij iacturam, hominum maledicta, famæ detrimenta, denique quæcunque in hanc vitam incurrere possunt, seipso inferiora ducat, itaque sub pedibus videat, vt iis, aut nihil moueatur, aut certe non perturbetur. Atque hæc mentis celsitas res vna omnium pulcherrima, & maxima, omnibus sane conuenit, qui in aliqua Ecclesiæ dignitate collocati sint; Sic enim sanctus Ambro- 1. *off. c. 36*
sius: Considera, inquit, quemadmodum eos; qui ad officia Ecclesiæ accedunt, despicientiam rerum humanarum habere deceat. Si enim mortui estis cum Christo ab elementis mũdi huius, quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Ex quo deinde intelligere potes, quam hoc deceat Cardinalem, vt quia in tam alto gradu positus est, respondeat gradui etiã altus, & excelsus animus, non quidem tumore altus, sed hac quam dixi,

eminentia ſuper res omnes creatas. Hoc enim præterquam quod per ſe ipſum laudabile, & egregium eſt, etiam vt ait idem Ambroſius, ſecum affert angorum omnium vacuitatem, vt neque in doloribus molliores, neque in proſperis elatiores ſimus. Quod præceptum vobis etiam præcipue conuenit, qui in ſuperiori, & illuſtriori ſiti eſtis loco: quoniam veſtra vita grauioribus incurſibus expoſita eſt, quam vita priuatorum, quibus ſi quid aduerſi euentiat, alte cadere non poſſunt. Quare niſi hac animi magnitudine tanquam clypeo quodam protexeris pectus, numquam animo tranquillo, & ſecuro eſſe poteris, ſed ſemper anxius, ſemper ſolicitus viues. non ſolum cum mala ipſa euenerint, ſed etiã cum imminere videbuntur: Semper enim pertimeſces, quia ſemper impendent. Contra vero ſi hoc apud te ſtabilieris, vt iſta omnia pro nihilo ducas, illud neceſſario ſequetur, vt neque rebus proſperis, & ad voluntatem fluentibus efferaris, neque deiiciaris, aut frangaris aduerſis, ſicque perpetuam æquabilitatem in vita conſerues, in qua non

ſolum

solum magna ineſt dignitas, ſed etiam magna felicitas. Talis erat flos ille Cardinalium Carolus Cardinalis Borromeus, qui cùm alia aſſidue dum vixit huius dedit documenta virtutis, tum illud in primis notabile, quod cum iter facerer per Heluetios, caſuque ſtabulum hoſpitij igne conflagraſſet, & in eo omnes eius equi, mulæ, iumenta, grandi vtique iactura conſumpta eſſent, tamen ita nihil commotus eſt, ac ſi nihil omnino accidiſſet, inſuper etiam hoſpiti centum aureos nummos ad reſarciendum incendij damnum elargitus eſt. Alias etiam cum aurigæ inſcitia in profundam foueam currus incidiſſet, & ipſe totus cœno, luroque immerſus eſſet, quin etiam brachium læſiſſet, tamen nullum impatientiæ, aut iracundiæ ſignum oſtendit, nihil queſtus, nihil etiam loquutus eſt, immo vero ſuos, in aurigam eius cauſa furentes, compeſcuit. Et quoniam iræ mentio incidit, hoc etiam intelligendum eſt, nihil tam repugnare huic magnanimitati, de qua hactenus loquuti ſumus, quã omnes quidem motus animi nimios, ſed præſertim iracundiam.

Iob 30. Sic enim est in libro Iob. *Vere stultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.* Quare hæc leuitas in Principe Ecclesiastico præsertim, non tunc modo deformis est, cum sine causa concitatur, sed etiam cum alicuius vel improbitas, vel tarditas, aut inscitia causam dederit. Nam tunc quoque in maledicta, & contumelias erumpere, etiam aduersus subiectos, & famulos ipsos, tũ abhorret ab humanitate, tum etiam ab hac fortitudine, de qua nobis est sermo. Itaque primum sane curandum est tibi, vt teneas in tua potestate animi motum, nec te, de gradu, vt dicitur, vlla re, deiici sinas, sin hoc plane vitare non potes, quin animus interdum subito occupatus efferuescat, illud proximum, vt saltem verbis modereris, & linguam diligentissime contineas, dicasque cum Propheta. *Turbatus*

Psal. 76. *sum, & non sum loquutus.* Sic enim etiam paulatim assuesces, vt interiores motus mitigentur, & vel non incitentur, vel non adeo vehementer. In quo etiam eiusdem Borromei, de quo modo diximus, virtus commemoratur, eoque magis, quod non cuidã lentitudini

dini naturali tribui poterat, cum esset potius feruidior. Quod ille agnoscens, cum se maxime stimulari sentiret, tenebat sese, & comprimebat, ne vllum verbum efferret, donec motus ille resedisset. Solebat autē interea annulum versare, quē digito gerebat, quod cum aduertissent domestici, hoc ipsum erat eis indicio, quod vim sibi faceret. Postremo sunt etiam alia nonnulla huius virtutis officia, quæ quoniā recte describuntur ab Aristotele, & mirum in modum congruunt Cardinali, operæ pretium puto hic etiam exponere. Primum enim, vt ille docet, fortis, & magnanimus, cum se periculis obiicit, id facit strenue, & alacriter, nec vitæ suæ parcit. Tum vero promptus est ad benefaciendum aliis; ipse accipere erubescit. Quod si beneficium accipiat, studet semper plura reddere, mauultque sibi alios debere, quam se aliis. Præterea, etsi apud eos, qui & ipsi in dignitate positi sunt, honorem, & gradum suum retinet, tamen apud humiliores humilem se exhibet, hos enim superare facile est, & ab iis reuerētiam exigere hominis est oneros*i*, 4.*ethi.* c. 3.

ac moleſti, ſicut pugnare aduerſus imbecillos. Eiuſdem eſt etiam magis curare veritatem, quam hominum opinionem, ob eam videlicet cauſam, quoniam omnes, & omnia cõtemnit. Idem omnia agit, & dicit aperte, ac ſimpliciter nihil ficte, aut ſubdole, & manifeſte, vel aſſentitur vel diſſentit. Nam latere velle timentis eſt: ideoque ille quidem adulari nulli neſcit, neſcit ad alterius arbitrium vel mores, vel ſermones ſeſe componere. Hoc enim ſeruile eſt, & ob hanc cauſam aſſentatores, omnes, fictique laudatores famulari, & plane abiecto ſunt ſpiritu. Quin etiam immemor eſt iniuriarum, non multũ loquitur de hominibus, neque ſe laudans, neque alios vituperans, nec maledicus eſt, ne in ipſos quidem inimicos. Denique de neceſſariis vitæ præſidiis non valde anxius, aut ſolicitus eſt in aliis horum cauſa deprecandis, potiuſque eligit honeſta, etiamſi inutilia, quam quæ commodum, & quæſtum afferant: quem ille minime omnium curat. Hæc Ariſtotelis omnia, quæ præſcripta, ſi ſeruaueris, poteris animoſe & fortiter, atque etiam

magni

magnifice ſemper viuere, quo ſane & laudem, & admirationem etiam apud homines conſequeris.

De ſtudio temperantiæ quod debet habere Cardinalis.

CAPVT XIII.

REquiritur etiam in Cardinali temperantia,& ita requiritur,vt licet reliquæ, quas hactenus diximus, virtutes maiores ſint, neſcio quomodo tamen, ſi hæc deſit maior, ſit turpitudo. Recte enim Ariſtoteles, delectationes corporis, in quibus videlicet moderandis verſatur temperantia, ait homini communes eſſe cum belluis,ac propterea nihil in iis ineſſe ingenuum, & nobile, ſed potius genere ſuo eſſe maxime ſeruiles, & ferinas, quia eas homo percipit,non qua homo eſt,ſed qua eſt animal.Ex quo addit,& vere,intemperãtiam eſſe cuiuis homini maxime exprobrabilem, ac fœdam. Quod ſi cuiuis homini, quanto magis Eccleſiæ Principi?ſed hæc virtus,vt ait idem *4.eth.c. 10.*

idem Philoſophus, non in omnibus delectationibus proprie verſatur, ſed præcipue in iis, quæ ad guſtum, tactumque pertinent. Quare de vtriſque aliquid dicendum, eoque magis, quoniam diuitiæ, & opes, quæ Cardinalium ſtatum comitantur, tantam ſuppeditant harum delectationum vel copiam vel facultatem, vt hæc virtus niſi bene fixa, & confirmata ſit, facile labefactetur, atque ſuccumbat. Vt igitur de illa prius temperantia loquamur, quæ ad guſtatum pertinet, eius quidem duo ſunt gradus, alter omnino neceſſarius, alter ſemper laudabilis, interdum ipſe quoque neceſſarius. Prior igitur conſiſtit in ſuperfluis reſecandis, ne vētri, & delitiis indulgeatur, ne diffluatur luxu, ne nimiū corpori ſeruiatur. Quo enim illa tanta ciborū abundantia, tā multa cōdimenta, tāque varia gulæ lenocinia, tāta copia, ac tam multiplex ferculorum, precioſa vina, exquiſitæ dapes, tāquam in perpetuis bacchanalibus, vt recte hāc, Clericorū præſertim, profuſionem. S. Hieronymus irriſerit. Noui, inquit, genera, & nomina piſciū, in quo littore

Epiſt. 4.

con

concha,lecta ſit calleo,ſaporibus auiũ diſcerno prouincias,& ciborũ me raritas,ac nouiſſime damna ipſa delectãt: Delectare ait,damna, quoniam interdum etiã eiuſmodi cibi nõ tam ſapore ipſo,quam ſumptu commendãtur,idque magis placet, quod pluris conſtitit. Neque tamen negarim quin Cardinalium menſa aliquanto lautior eſſe poſſit,quam priuati hominis. Vult hoc conſuetudo,patitur ratio, faciunt boni, laudatique Cardinales, denique etiam dignitatis huius ſplendor ita poſtulare videtur, vt quemadmodum in ædibus,in veſtibus, in familia, ita in hoc quoque ſit quædam laxitas. Sed& in hoc ipſo ſuus modus eſſe debet,& hic modus, non ex ſæculi corruptela, quæ in dies magis augetur, ſed ex rectæ rationis præſcripto, & prudentiæ lumine definiendus eſt. Etſi enim aliquid amplius concedatur hominum oculis ad tuendam dignitatem,non tamen conceditur,nec concedi poteſt intemperantia. Nã vt Cardinalis etiãſi multis veſtimentis domi ſuæ abundet, non tamen ſe pluribus onerat,quẽ vſus poſtulet, vel hyemis, vel

vel æſtatis, ſic quamuis ad ſplendorem referta ſit menſa, non ideo plus eſt ſumendum, quam ſobrietatis regula patiatur, Neque te fallas, aut tibi blandiaris frater cariſſime. Omnia enim pericula, quæ aliis ex luxu, & delitiis, Cardinalibus quoque impendent, tum in ratione, tum in appetitu, tum in corpore, quæ triplex eſt noſtri pars. Primum enim ratio obruitur, & obſcuratur, & vt docuit Dominus ipſe, grauatur ebrietate, & crapula. Vt enim terræ vapores, & exhalationes Solis lumen caligine quadam offundũt, ita hæ ventris exhalationis craſſæ, & concretæ animi lumen eripiũt, vt ad cœleſtia cogitanda, ſæpe etiam ne ad humana quidem vlla ex parte idoneus ſit, appetitus etiam qui nobis eſt communis cum beſtiis, vſque eo effertur inſolentia, & contumacia, vt à ratione deſciſcat, ex quo fit, vt motus & perturbationes, quæ in hac animæ parte exiſtũt inſoleſcant, & fiant indomitæ, vt ira, vt cupiditas, vt amor, odium, & reliquæ. Itaque non mirum eſt deinde, ſi iis reſiſti non poſſit, & mentis obediẽtia abiecta, eam captiuam trahãt, & rapiant,

Luc.21.

impel

impellantque quo volunt. Nam quid ego dicam de corpore, quod si impinguatum fuerit, necesse est recalcitrare, vt fiat, sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus? Quod igitur monstrum ex tali Cardinali efficietur? An non in eum vt in tanto honoris apice constitutum conueniet illud ex Psalmo: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus,& similis factus est illis.* Psal. 48.

Igitur vt hæc omnia mala ex deliciis, & mollitie oriuntur, sic contra moderatio,& temperantia,omnia propemodum bona inducit. Acuit enim animum ad cœlestia penetranda, ad gustanda diuina; appetitum, eiusque motus,quos dixi,comprimit,sedat iracundiam,cupiditates mitigat, affectus denique omnes edomãt,vt vel non infesti sint, vel si interdum insurgant, nullo negocio subigantur. Postremo ipsius quoque corporis insolentiam frangit,vt se aduersus rationem commouere non possit, sed in eius sit ditione, ac potestate. Denique si quis innumerabiles huius temperantiæ fructus nosse velit,Chrysostomum legat, *Hom.55. ad pop.*

tum

tum alibi sæpe, tum in quodam sermone ad populum, vbi ita ait, vilem, tenuemque mensam, esse matrem sanitatis, vt contra saturitas mater est ægritudinis, atque infirmitatis, morbosque parit, quibus nulla Medicorum ars mederi possit, pedum enim dolores, & capitis grauitates, atque vertigines, manuum cruciatus, & tremores, & remissiones: longas & æstuosas febres, & alia his longe plura, non ex parco victu, sed ex crapula, & saturitate nasci. His vero corporis morbis, addit etiam animi morbos, qui sine dubio maiores sunt, auaritiæ, mollitiæ, melancoliæ, ignauiæ. Omnis, inquit, ignorantia hinc habet principium; Nihilo enim meliores quam asini sunt, talium mensarum delicias sectantes. In quo genere verum est illud etiam quod idem adiungit, eam quidem, quæcunque sit voluptatem, non nisi ad linguam, & guttur peruenire, infra vero nihil sentiri delectationis, sed potius multum molestiæ, onerato videlicet ventre, & grauato capite, ex quo cruditates, & vigiliæ, & alia mala gigni solent. Sicut enim ait, si quis

in

in cloacam cibos deiiciat, ita quoque qui mittit in ventrẽ,immo vero multo etiam peius. Cloacæ enim nullum affertur damnum, corpori vero multa damna. Hæc igitur si Chrysostomus de omnibus dicebat, quid dixisset, si de Cardinalibus loqueretur, qui tanto maiorem sanctitatem, & cõtinentiam, & cum Deo coniunctionem profiteri debent, quibus omnibus nihil est inimicius intemperantia? Quare vobis præcipue sine vlla dubitatione exercenda est hæc temperantia, vt etiam exquisitam istam lautitiam oderitis. Quocirca mi Frater, indignum existimabis vestro gradu, si (quod nonnulli faciunt) querulus, morosusque sis, in ciborum condimentis, aut de hoc genere cum coquis, & pincernis crebro litiges. Est enim laudabile quod de Pio Secundo Pontifice accepimus, cuius tum aliæ multæ virtutes feruntur, tum hæc ipsa, quod mediocri cibo vti solitus esset, non lauto, non delicato, eoque semper fuisse contentum, quod apponeretur, quodcunque esset: vino vero parcissime vsum, eoque bene diluto.

Atque

Atque hoc quidem vt à superfluis abstineat semper fieri debet à Cardinali, idque ad perpetuum quendam vitæ tenorem pertinet. Est igitur alter quidam gradus huius virtutis, quem supra attigi, vt suis temporibus aliquid etiam amplius facias in edomando, castigandoque corpore. Cur enim non ipsi quoque Cardinales hoc faciant, si virtutem colere, si Deo placere, si vitia vincere velint, cum ipsi quoque eandem carnem habeant, quam alij homines, ita corruptam, ac deprauatam in eodem peccato conceptam, eodemque fomite infectam, quo alij? Sic enim Paulus ipse Apostolus, & tantus Apostolus, *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Vbi Chrysostomus. Si hoc Paulus timuit, qui tam multos docuit, & timuit postquam prædicauit, & postquam factus est Angelus, & totius orbis terrarum curam, & defensionem suscepit, quid nos dixerimus? Nec desunt exempla Cardinalium. Nam de Iuliano illo Cæsarino, cuius etiam antea fecimus mentionem, memoriæ prodi

1. Cor. 9.

Hom. 23. in 1. ad Corinth.

proditum eſt, fere illum in ſuis veſtibus cubitaſſe, interulam intimam, non ex lino, ſed ex panno geſtaſſe, longa exercuiſſe ieiunia, omnibus ſextis feriis pane, & aqua ieiunaſſe, quotidie miſſam celebraſſe, denique vt hoc etiã addamus, ita in eleemoſynis profuſum fuiſſe, vt à ſuis alter Martinus appellaretur. Ioannes quoque Caruaiallus natione Hiſpanus, quem Eugenius Quartus ex Romanæ Rotæ Auditore ad Cardinalatum euexit, tanta religione fuiſſe perhibetur, vt domum haberet moderatiſſimam, nullis aulæis, nullo argento cælato, inſuper etiam cilicium occulte geſtaret, multaque ſe maceraret inedia; Similis quoque huic fuit Nicolaus Albergatus inſignis omnino Cardinalis, cuius etiam diſciplinæ alumnus fuit Thomas Sarzanenſis, qui poſtea Pontifex creatus in eius gratiam Nicolaus V. appellari voluit. Quare ipſum quoque ſcribunt magnopere ſtudioſum fuiſſe, corporis extenuandi tum ieiunio, tum craſſioribus cibis, tum vigiliis, tum etiam perpetuo cilicio. Quid vero dicemus de Roberto Nobili, in quo etiam hoc

ſtudium

ſtudium eo admirabilius fuit, quod eſſet adhuc in ipſo flore adoleſcentiæ, & cum Iulio Tertio Pont. Max. arctiſſima affinitate coniunctus? Et ille quidem præter cæteras carnis caſtigationes, eiuſdem fere generis, hoc inſuper ſeruabat, vt ſe in ipſum pauimentum ſuper humilem culcitram ad dormiendum abiicere ſoleret. Nam de Carolo Borromeo nihil attinet dicere, ei⁹ enim vita, & recentior, & illuſtrior eſt quam vt hic commemoranda videatur. Sed tamen ſic tradunt, eius familiares, quotidianis illum pœnitentiæ incrementis, eo tandem peruenisſe, vt quotidie pane, & aqua ieiunaret, exceptis Dominicis, ac feſtis diebus: in qua ille ſeueritate diu durauit, vſque ad extremum vitæ diem, immo vero aliquanto ante obitum ipſos etiam feſtos dies non parum reſtrinxerat, ad ſola ſe legumina, aut olera, fructuſue arborum redigens. Quare cum Gregorius XIII. pro ſuo officio, peculiari Breui ad eum ſcripto, non ſolum hortatus eſſet, ſed etiam præcepiſſet, vt rigorem hunc temperaret, reſpondit Cardinalis ſe quidem paratum obedire,

ſed

ſed tamen experientia cognouiſſe eam inediam valetudini quoque conferre, ad exiccandam pituitam qua abundabat. Quo argumento permotus Gregorius, ſuo illum iudicio, arbitrioque permiſit. Nimium hoc fortaſſe,& mirandum magis, quam imitandum, ſed tamen hoc ipſum nimium eo magis eorum mollitiem accuſat, qui in alteram partem peccant. Illud moderatius,& ad exemplum accommodatius, quod de Antonio Carrafa compertum eſt, optimo certe Cardinali,quem magno Eccleſiæ damno ante paucos menſes amiſimus. Ita enim ipſe quoque coërcendi corporis ſtudioſus fuit, vt præter cæteram victus parcimoniam, ter etiam in hebdomada voluntariis verberibus ſe afficeret, ter cilicio vteretur.

Ex his igitur exemplis omnibus quæ ad hanc cauſam ornandam congeſſimus,hoc conſtare poteſt, non Monachis tantum,ſed omnibus plane hominibus,& ipſis Cardinalibus magnopere conuenire aliquam corporis afflictationem prudenter adhibitã;neque vnquã defuiſſe,aut deeſſe, qui ita facerẽt;

Sed

Sed erunt fortaſſe, qui hanc quaſi auſteritatis profeſſionem refugiant, vel ne virtutem oſtentare videantur, vel ne ob auaritiam, aut tenacitatem ſumptui parcere putentur. Quibus primum reſpõdeo, quod attinet ad oſtentationem, modo ne ipſi id eo animo faciant, vt ab hominibus videantur, hominumque gloriolam aucupent? nihil eſſe timendum, quod ſciatur eos interdum ieiunare, non magis quam cum ſcitur, eos vel miſſam quotidie audire, vel ſæpe Euchariſtiam ſumere, aut eleemoſynam tribuere. Nam hæc quoque bona ſunt, quæ tamen palam fiunt, ſine oſtentationis metu. Præterea non deeſt facultas occultandi, modo non deſit voluntas. Quid enim prohibet quo minus inter ipſas epulas, inter conuiuia, inter lautas menſas te coerceas, quo minus certos dies habeas, quibus pro tuo inſtituto, ac ſtudio pietatis clam omnibus acrius aliquod ieiunium ſerues? Sic enim de
Epiſt. 3. Nepotiano S. Hieronymus, inter alia, quæ de illo vt optimo ex optimis Clericis commemorat. Menſæ, inquit, auunculi (hic autem auunculus Heliodo

liodorus erat Episcopus) intererat, & sic apposita quæque libabat, vt & superstitionem fugeret,& continentiam seruaret. Idem legimus de Sancta illa Elisabetha Regis Vngariæ filia, eademque Turingiæ Principis, quem Lantgrauium vocant,vxore,eam seueriſſima ieiunia seruare solitam inter ipsa conuiuia regio more instructa, nemine aduertente. Nam dum modo Principem coniugem alloquitur,modo huic,aut illi conuiuæ, officij gratia aliquid porrigit, modo astantibus famulis quidpiam iniungit, ita rem ducebat, vt sæpissime à mensa discederet nullo alio cibo,nisi arido pane gustato. Hoc igitur facere possunt etiam Cardinales, & certe ita faciebat Borromeus cum interuentu nobilium hospitum eorum conuiuiis adesse cogebatur, in quibus nihilominus suum seruabat institutum, sed ita dissimulanter,vt sæpe non modo hospites,sed ne familiares quidem plerique animaduerterent.

Cæterum illud etiam ad hanc temperantiam pertinet, vt prouideas, ne in tua mensa quicquam indecore aga-

tur, nedum agas ipſe. Itaque iurgia, contentiones, ſermones ſolutiores, & alia eiuſmodi vitia, quæ inter ſcyphos facile exoriuntur, ita prohibere debes, vt rem indigniſſimam tuis auribus, tuaque præſentia, præſertim vero maledicentiam, quæ neſcio quomodo, dulcedine quadam facillime obrepit. Itaque ob hanc cauſam ferunt B. Auguſtinum cum Epiſcopus eſſet; & multos ad cibum vna ſumendum admitteret, deſcriptos habuiſſe in pariete hos duos verſiculos. Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam, Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi. Quare quoties alicuius ſermo, vt fit ab aliis rebus, in maledicentiam delapſus eſſet, hos ipſos verſus ei digito indicabat. addebatque ſeueram obiurgationem, nec fere in re vlla adeo ſe præbebat auſterum. Et merito, quoniam S. Gregorius eriam monet in conuiuiis abundare ſolere loquacitatem, eoque pertinere, quod in Euangelio legimus diuitem illum, qui quotidie ſplendide epulabatur, grauius in lingua cruciatum, vt videlicet, qua corporis parte maxime

Hō. 40. in Euāg.

delique

deliquerat, eadem etiam maxime plecteretur. Igitur ad hos ineptos, vel etiam noxios ſermones excludendos, optima eſt ea ratio, quam præſcripſere Sacra Concilia, vt in omni Sacerdorali conuiuio diuinarum ſcripturarum lectio miſceatur, per hoc enim,& animæ ædificantur ad bonum, & ocioſæ fabulæ prohibentur. Hęc ipſa ſunt verba Synodi Toletanæ, quæ ad firmitatem maiorem, ſunt etiam inter Pontificios Cánones relata. Atque illud quoque additur, quod item ad rem facit, vt Clerici, non niſi hymno dicto comedant panem, & poſt cibos auctori Deo gratias agant. Cum igitur hoc ita diſerte præcipiatur, de lectione adhibenda, non poteſt vtique à Cardinali negligi, & quidem ita præſtari, vt lectio cum menſa fere adæquetur, non vt ad ſpeciem quandam retinendam initio tantum adhibeatur. Hoc enim eſt non legem ſeruare, ſed eludere. Quin etiam quicquid eſt vacui temporis in menſa, ac deinde poſt menſam, non ſolum ad pietatem, ſed etiam ad dignitatem Cardinalis pertinet, vt bonis, *d. 44.c. pen.c.vl.*

vtilibuſque ſermonibus conſumatur.
Epiſt. 3. Sic enim S. Hieronymus de Clerico illo Nepotiano, ſermo, inquit, eius per omne conuiuium de ſcripturis aliquid proponere libenter audire, reſpondere, verecunde recta ſuſcipere, praua non acriter confutare, diſputantem contra ſe magis docere, quam vincere. Quibus verbis forma etiam modeſtiæ præſcribitur, quæ ſeruanda ſit in menſa prælati, ne interloquendum diſputatio nimis exardeſcat. Atque hanc etiam ob cauſam laudabile eſt Cardinali habere apud ſe probos, & doctos homines, quos præſertim eo tempore adhibeat, & ipſe eorum eruditionem modo hac modo illa quæſtione laceſſat, quod & de aliis, & potiſſimum de Paulo Tertio Pontifice accepimus, cum magna animi oblectatione facere eum conſueuiſſe ſuper menſam.

De caſtitate quam ſeruare debent Cardinales.

CAPVT XIV.

QVoniam dictum eſt ex Ariſtotele duplicem eſſe temperantiæ partem ad duplex genus delectationum moderandum. de altera quidem parte, quæ ad ventris cupiditatem pertinebat, ſatis dictum eſt, nunc reſtat altera aduerſus turpiorem cupiditatem. Sed hoc intereſt, quod prior illa cupiditas non quidem præcidenda, ſed temperanda, & ad mediocritatem reuocanda eſt, hæc vero omnino, ac penitus fugienda, & radicitus extirpanda. Hoc enim profitetur ipſe ſtatus, in quo eſt Cardinalis, remotus à coniugio, & multo magis ab omni obſcæna voluptate. hoc etiam præ ſe fert, & conteſtatur habitus ipſe, & illa candida veſtis, quam non occulte ſed palam geſtatis, veſtriſque & aliorum oculis oſtentatis. Neque id nouo more. Nam veteribus quoque

1.Regũ c.1. Sacerdotibus idem erat mos, vt de Samuele ſcriptura commemorat, quem lintea ſuccinctũ veſte deſcribit: quod 2. *in lib. Reg. c.3.* S. Gregorius morali vt ſolet ſenſu ita interpretatur, *Quid*, inquit, *in Ephod lineo*, niſi continentiæ candor oſtenditur? Quo nimirum Ephod accingimur, cum ad nitorem pudicitiæ omni ex parte retinemur, cum animæ, & carnis nulla pars à diſtrictionis lege abſoluitur, per quam ad luxuriæ caliginem defluamus. Talis itaque miniſter in cõſpectu Domini eſt, quia de Omnipotentis Dei ſperata viſione non fallitur, cui cum tanto accinctionis ſuæ nitore famulatur. Sed ad huius quidem virtutis commendationẽ, non multis arbitror opus eſſe, cum eius obligatio, & neceſſitas conſtet, in iis omnibus, qui ſacris ordinibus initiati ſunt, in quibus ordinibus ſuſcipiendis caſtitatem etiam, perpetuamque continentiam ſancto & ſolemni, & perpetuo voto ſpondent. Sic enim docent ſac. Canones, nec ſolum docent, ſed etiam præcipiunt, & conſtituunt, votum ſolemne eſſe, quod fit. vel ſacri ordinis ſuſceptione, vel pro-

C. *quod autẽ de voto in* 6.

feſ

feſſione religionis approbatæ ab Apoſtolica Sede. Iam ergo licet argumentari, cùm idem ſit vinculum Cardinalis ex ordine ſacro, ac religioſi, ex profeſſione facta, ſi cum religioſus ſuum rumpit votum ſacrilege facit, cur non eodem odio dignum ſit Cardinalis ſacrilegium? Rectè ergo S.Hieronymus, de hoc ipſo, *Melius eſt non promittere, quàm promiſſa non facere.* Anna obtulit Samuelem, qui in ęterna ſanctificatione permanſit, & Manne obtulit Sampſon filium, ſed ſanctificationem capillorum eius Dalidæ libido turpauit, denique Dominus receſſit ab eo, & cæcitate damnatus eſt. Hæc eſt igitur ſeruandæ continentiæ neceſſitas in eo, qui ſe omnipotenti Deo obligauit, qui ſeipſum eius Maieſtati ſuis labiis conſecrauit, eiuſque promiſſi innumerabilem illam cœli militiam teſtem aduocauit, vt quot ſuæ tunc ſponſionis teſtes habuit, totidem deinde ſi fefellerit, in iudicio aduerſarios, & accuſatores ſit habiturus. *In c. 44. Ezech.*

Sed hoc quidem ſatis perſpicuum eſt, nec poteſt ab vllo vel negari, vel

etiam extenuari. Illud potius conuincendum, quod quidam errores ſuos excuſare ſolent ex humana infirmitate, ex naturæ inclinatione, ex rei difficultate, ex occaſione, & illecebra peccandi, aliiſque eiuſmodi, quaſi res nimis ardua ſit, & humanas vires exuperet. Quibus quidem ego hoc primo reſponſum velim. Quid vos igitur id promittere coegit, quod veſtras ſuperabat vires? Cur tam prompti ad promittendum, tam imbecilli ad exequendum? Huc enim etiam aptiſſime
Act. 5. quadrat illa B. Petri in Ananiam obiurgatio, de agri pretio fraudato. *Nonne*, inquit, *manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Non es mentitus hominibus ſed Deo.* Cuius quidem peccati magnitudo ex ſupplicij magnitudine apparuit. Etenim & ille, & vxor vna Petri voce tanquam fulmine icti, ſubita morte perierũt, & factus eſt, ait ſcriptura, timor magnus, in vniuerſa Eccleſia, & in omnes qui audierunt. Idem igitur valet in hos quoque, quibus ſane integrum erat, & liberum vouere, & nõ vouere, poſtquã autẽ vouerint, ſeque Deo obligarint,

tum

tum si fidem datam fregerint, non hominibus mentiuntur, sed Deo, idque in suum caput, & in suam ipsi quoque perniciem. Sed nimirum non rei difficultas, verum propria ignauia, & imbecillitas, & negligentia negocia aduersatur. Recte enim, ac vere Chrysostomus, Non oportet, inquit, dicere, Non possum continere, & accusare conditorem nostrum. Si enim ita nos condidit, vt abstinere non possimus, accusandus est, quod iubeat esse castos. Dices. Quomodo igitur multi non possunt? Potius dic quod nolunt. Si enim omnes voluerint, omnes potuerint. Ideo, & Paulus ait; *Volo vos omnes esse, sicut me ipsum.* Pergit deinde Chrysostomus ostendere in omnibus rebus, & in omnibus artibus non sufficere solam voluntatem, sed necessarium esse studium, & applicationem ad opus, vt in agris colendis, in honoribus adipiscendis, denique in omnibus non satis esse desiderium, sed oportere rem aggredi, & constanter exequi. Quod idem etiam de tuenda castitate dicendum ait, non esse sane rem adeo grauem, vt sit supra

Homel. 17 in epist. ad Hebr.

1. Cor. 7.

vires,ſed tamen aliquid applicationis, & curæ ac ſtudij,diligentiæque requirere. Atqui multi ſunt,qui ſic viuunt, quaſi hoc ipſum agant de induſtria, vt dæmonem aduerſus ſeipſos arment, carnem incendant, aduerſus caſtitatem,ita omnes commoditates,omnem mollitiem,omnia corporis blãdimenta ſectantur,ita refugiunt omnem auſteritatem.Quare nil mirum eſſe debet,ſi his difficilis omnino pudicitia videatur. Origenem audiant veterem Doctorem, & huius, virtutis amatorem acerrimum. Neſcitis, quia ſi carnem ſolam nutriatis, & ipſam frequenti mollitie, ac iugi deliciarum luxu foueatis, inſoleſcet neceſſario aduerſus ſpiritũ,& fortior illo efficietur.Quod ſi fiat,ſine dubio eum in ſuã ditionem redactum ſuis coget legibus, ac vitiis obedire. Nutrimenta igitur ſpiritus ſunt diuina lectio, orationes aſſiduæ, ſermo doctrinæ. His alitur cibis, his conualeſcit,his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere: Volumus, ſed non poſſumus. Tu das ſtimulos carni tuæ, tu eam aduerſus

Hom.9. in Leuit.

ſpiri

ſpiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus ſatias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris. Hæc Origenes.

Quamobrem ſi præſidium aliquod deſideres ad tuendum hunc adeo pretioſum theſaurum, hoc primum intelligere debes, quod ait Apoſtolus, nos theſaurum hunc habere in vaſis fictilibus, id eſt, infirmiſſimis, & maxime fragilibus, quæ videlicet ad omnem incurſum rũpi ſolent. Ex quo ſequitur, vt omnis diligentia, & attentio, atque animi prouiſio adhibenda ſit in iis ſeruandis, & niſi adhibeatur, nemo euadere poſſit naufragium. Magnis inquit S. Hieronimus, inimicorum circumdamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia, caro fragilis, & cinis futura poſt modicum pugnat ſola cum pluribus. Non quærit diabolus homines infideles, & eos qui foris ſunt, & quorum carnes Rex Aſſyrius in olla ſuccendit. De Eccleſia Chriſti rapere feſtinat. Eſcæ eius ſecundum Abacuc electæ ſunt, Iob ſubuertere cupit, & deuorato Iuda ad cribrandos

2. Corin. 4.

Epiſt. 22.

Abac. 2.

vtilibuſque ſermonibus conſumatur.
Epiſt. 3. Sic enim S. Hieronymus de Clerico illo Nepotiano, ſermo, inquit, eius per omne conuiuium de ſcripturis aliquid proponere libenter audire, reſpondere, verecunde recta ſuſcipere, praua non acriter confutare, diſputantem contra ſe magis docere, quam vincere. Quibus verbis forma etiam modeſtiæ præſcribitur, quæ ſeruanda ſit in menſa prælati, ne interloquendum diſputatio nimis exardeſcat. Atque hanc etiam ob cauſam laudabile eſt Cardinali habere apud ſe probos, & doctos homines, quos præſertim eo tempore adhibeat, & ipſe eorum eruditionem modo hac modo illa quæſtione laceſſat, quod & de aliis, & potiſſimum de Paulo Tertio Pontifice accepimus, cum magna animi oblectatione facere eum conſueuiſſe ſuper menſam.

De castitate quam seruare debent Cardinales.

CAPVT XIV.

QVoniam dictum est ex Aristotele duplicem esse temperantiæ partem ad duplex genus delectationum moderandum. de altera quidem parte, quæ ad ventris cupiditatem pertinebat, satis dictum est, nunc restat altera aduersus turpiorem cupiditatem. Sed hoc interest, quod prior illa cupiditas non quidem præcidenda, sed temperanda, & ad mediocritatem reuocanda est, hæc vero omnino, ac penitus fugienda, & radicitus extirpanda. Hoc enim profitetur ipse status, in quo est Cardinalis, remotus à coniugio, & multo magis ab omni obscæna voluptate. hoc etiam præ se fert, & contestatur habitus ipse, & illa candida vestis, quam non occulte sed palam gestatis, vestrisque & aliorum oculis ostentatis. Neque id nouo more. Nam veteribus quoque

1. Regũ 6. 1. Sacerdotibus idem erat mos, vt de Samuele ſcriptura commemorat, quem lintea ſuccinctũ veſte deſcribit: quod 2. in lib. Reg. c. 3. S. Gregorius morali vt ſolet ſenſu ita interpretatur, *Quid*, inquit, *in Ephod lineo*, niſi continentiæ candor oſtenditur? Quo nimirum Ephod accingimur, cum ad nitorem pudicitiæ omni ex parte retinemur, cum animæ, & carnis nulla pars à diſtrictionis lege abſoluitur, per quam ad luxuriæ caliginem defluamus. Talis itaque miniſter in cõſpectu Domini eſt, quia de Omnipotentis Dei ſperata viſione non fallitur, cui cum tanto accinctionis ſuæ nitore famulatur. Sed ad huius quidem virtutis commendationẽ, non multis arbitror opus eſſe, cum eius obligatio, & neceſſitas conſtet, in iis omnibus, qui ſacris ordinibus initiati ſunt, in quibus ordinibus ſuſcipiendis caſtitatem etiam, perpetuamque continentiam ſancto & ſolemni, & perpetuo voto ſpondent. Sic enim docent ſac. Canones, nec ſolum docent, ſed etiam præcipiunt, & conſtituunt, votum ſolemne eſſe, quod fit. vel ſacri ordinis ſuſceptione, vel pro-

C. *quod autẽ de voto in* 6.

feſ

feſſione religionis approbatæ ab Apoſtolica Sede. Iam ergo licet argumentari, cùm idem ſit vinculum Cardinalis ex ordine ſacro, ac religioſi, ex profeſſione facta, ſi cum religioſus ſuum rumpit votum ſacrilege facit, cur non eodem odio dignum ſit Cardinalis ſacrilegium? Rectè ergo S. Hieronymus, de hoc ipſo, *Melius eſt non promittere, quàm promiſſa non facere.* Anna obtulit Samuelem, qui in ęterna ſanctificatione permanſit, & Manne obtulit Sampſon filium, ſed ſanctificationem capillorum eius Dalidæ libido turpauit, denique Dominus receſſit ab eo, & cæcitate damnatus eſt. Hæc eſt igitur ſeruandæ continentiæ neceſſitas in eo, qui ſe omnipotenti Deo obligauit, qui ſeipſum eius Maieſtati ſuis labiis conſecrauit, eiuſque promiſſi innumerabilem illam cœli militiam teſtem aduocauit, vt quot ſuæ tunc ſponſionis teſtes habuit, totidem deinde ſi fefellerit, in iudicio aduerſarios, & accuſatores ſit habiturus. *In c. 44. Ezech.*

Sed hoc quidem ſatis perſpicuum eſt, nec poteſt ab vllo vel negari, vel

etiam extenuari. Illud potius conuincendum, quod quidam errores ſuos excuſare ſolent ex humana infirmitate, ex naturæ inclinatione, ex rei difficultate, ex occaſione, & illecebra peccandi, aliiſque eiuſmodi, quaſi res nimis ardua ſit, & humanas vires exuperet. Quibus quidem ego hoc primo reſponſum velim. Quid vos igitur id promittere coegit, quod veſtras ſuperabat vires? Cur tam prompti ad promittendum, tam imbecilli ad exequendum? Huc enim etiam aptiſſime
Act. 5. quadrat illa B. Petri in Ananiam obiurgatio, de agri pretio fraudato. *Nonne*, inquit, *manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Non es mentitus hominibus ſed Deo.* Cuius quidem peccati magnitudo ex ſupplicij magnitudine apparuit. Etenim & ille, & vxor vna Petri voce tanquam fulmine icti, ſubita morte perierũt, & factus eſt, ait ſcriptura, timor magnus, in vniuerſa Eccleſia, & in omnes qui audierunt. Idem igitur valet in hos quoque, quibus ſane integrum erat, & liberum vouere, & nõ vouere, poſtquã autẽ vouerint, ſeque Deo obligarint,

tum

tum si fidem datam fregerint, non hominibus mentiuntur, sed Deo, idque in suum caput, & in suam ipsi quoque perniciem. Sed nimirum non rei difficultas, verum propria ignauia, & imbecillitas, & negligentia negocia aduersatur. Recte enim, ac vere Chrysostomus, Non oportet, inquit, dicere, Non possum continere, & accusare conditorem nostrum. Si enim ita nos condidit, vt abstinere non possimus, accusandus est, quod iubeat esse castos. Dices. Quomodo igitur multi non possunt? Potius dic quod nolunt. Si enim omnes voluerint, omnes potuerint. Ideo, & Paulus ait; *Volo vos omnes esse, sicut me ipsum.* Pergit deinde Chrysostomus ostendere in omnibus rebus, & in omnibus artibus non sufficere solam voluntatem, sed necessarium esse studium, & applicationem ad opus, vt in agris colendis, in honoribus adipiscendis, denique in omnibus non satis esse desiderium, sed oportere rem aggredi, & constanter exequi. Quod idem etiam de tuenda castitate dicendum ait, non esse sane rem adeo grauem, vt sit supra

Homel. 17 in epist. ad Hebr.

1. Cor. 7.

vires,ſed tamen aliquid applicationis, & curæ ac ſtudij,diligentiæque requirere. Atqui multi ſunt,qui ſic viuunt, quaſi hoc ipſum agant de induſtria, vt dæmonem aduerſus ſeipſos arment, carnem incendant, aduerſus caſtitatem,ita omnes commoditates,omnem mollitiem,omnia corporis blãdimenta ſectantur,ita refugiunt omnem auſteritatem.Quare nil mirum eſſe debet,ſi his difficilis omnino pudicitia videatur. Origenem audiant veterem Doctorem , & huius , virtutis amatorem acerrimum. Neſcitis , quia ſi carnem ſolam nutriatis , & ipſam frequenti mollitie , ac iugi deliciarum luxu foueatis, inſoleſcet neceſſario aduerſus ſpiritũ,& fortior illo efficietur.Quod ſi fiat,ſine dubio eum in ſuã ditionem redactum ſuis coget legibus , ac vitiis obedire. Nutrimenta igitur ſpiritus ſunt diuina lectio , orationes aſſiduæ, ſermo doctrinæ. His alitur cibis , his conualeſcit,his victor efficitur. Quod quia non facitis , nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere : Volumus , ſed non poſſumus. Tu das ſtimulos carni tuæ , tu eam aduerſus

Hom.9. in Leuit.

ſpiri

ſpiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus ſatias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris. Hæc Origenes.

Quamobrem ſi præſidium aliquod deſideres ad tuendum hunc adeo pretioſum theſaurum,hoc primum intelligere debes,quod ait Apoſtolus, nos theſaurum hunc habere in vaſis fictilibus, id eſt, infirmiſſimis, & maxime fragilibus,quæ videlicetad omnem incurſum rũpi ſolent.Ex quo ſequitur,vt omnis diligentia, & attentio, atque animi prouiſio adhibenda ſit in iis ſeruandis, & niſi adhibeatur, nemo euadere poſſit naufragium.Magnis inquit S.Hieronimus,inimicorum circumdamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia, caro fragilis, & cinis futura poſt modicum pugnat ſola cum pluribus. Non quærit diabolus homines infideles, & eos qui foris ſunt, & quorum carnes Rex Aſſyrius in olla ſuccendit. De Eccleſia Chriſti rapere feſtinat. Eſcæ eius ſecundum Abacuc electæ ſunt, Iob ſubuertere cupit, & deuorato Iuda ad cribrandos

2. *Corin.* 4.

Epiſt. 22.

Abac. 1.

Apoſtolos expetit poteſtatem. Ecce auctore S. Hieronymo, vt aduerſarius noſter diabolus omni quidem hominum conditioni infeſtus eſt, ſed multo tamen magis exultat gaudio, ſi Eccleſiæ antiſtitem, cuiuſmodi eſt Cardinalis, adeo fœde, miſereque præcipitet. Creſcit enim peccatum ex eius dignitate, creſcit Dei iniuria, creſcit hominum ſcandalum, creſcit Eccleſiæ damnum, quibus omnibus improbus ille gaudet mirum in modum, ac triumphat. Declaratum eſt hoc eo viſo, quod S. Gregorius narrat obiectum eſſe cuidam, qui in Phano idolorum magnam dæmonum cateruam vidit Principi ſuo ſeruientium, & actorũ rationem reddentium, vbi cum multi multos variis hominibus fucos factos exponerent, vnum poſtremo indicaſſe tentationem Andreæ Fundano Epiſcopo iniectã, ita vt domeſticæ mulieris amore tactus nutaret. Quare Principem illum qui reliquos nihil curauerat, hoc de Epiſcopo inhianter audiſſe, & quaſi de grandi lucro gauiſum eſſe. Hoc igitur idem de ſeipſo Cardinalis cogitare debet, multo ſe

2. dialog. 6.7.

maio

maiorem riſum perditis illis præbiturum,ſi qua parte ſe aut facto,aut etiam cogitatione ſupplantari ſinat. Aliud eſt etiam remedium, ac præſidiũ duplex, primum reſiſtere ſtatim cogitationi ſubrepenti,quoniam vt hoſtes cum ciuitatem aggrediuntur facilius repelli poſſunt. Si vero pedem intulerint, ita omnia occupant, ita dominantur, vt exturbari nequeant, ſic etiam in iſta præſertim tentatione vſu venit, Alterum eſt perfugere ad orationem, eaque opem,& auxilium à Domino Deo implorare. De hoc vtroque S. Hieronymus, eodem loco, quem paulo ante poſui, ſtatim vt libido titillauerit, ſenſum,inquit, aut blandum voluptatis incendium dulci calore perfuderit, erumpatur in vocem, Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro. Nolo ſinas cogitationem creſcere, nihil in te Babylonicum,nihil confuſionis adoleſcat. Dũ paruus eſt hoſtis, interfice, nequitia, ne zizania creſcat, elidatur in ſemine. Quia enim impoſſibile eſt, in ſenſum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille

prædica

prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram, petra autem Chriſtus eſt. Præterea iuuat etiam, vel maxime cuſtodia ſenſuum, præſertim oculorum, quibus ſi licentia vagandi permittatur, non poteſt dici quantam vim habeant ad perdendum. Quid enim Dauidem talem Dei amicum poſt tot reuelationes, poſt incerta, & occulta diuinæ ſapientiæ manifeſtata, perculit, atque proſtrauit, niſi vnus coniectus oculorum, vt omnes tanto exemplo diſcant, neque dignitatem, quando ille quoque Rex erat, neque ſapientiam, aut etiam ſanctitatem, cum ipſe tam magnus eſſet propheta, ſatis reſiſtere poſſe eiuſmodi periculis, iiſque pugnis, quas aſpectus affert, ſenſus omnium acerrimus. Huic deinde proximus eſt auditus, de quo recte præcipit S. Hieronymus in Epiſtola ad Nepotianum Clericum. Nunquam, inquit, de formis mulierum diſputes, quo præcipit, nunquam loquendum eſſe, nunquam alios audiendos de huius vel illius fœminæ elegantia, aut ſpecie. Decet enim prælatum,

2. *Reg.* 11.

Epiſt. 2.

non

non modo animum,ſed etiam oculos, & aures caſtas habere. Vltimum adiumentum aduerſus hæc ignita diaboli iacula eſt,quod ſupra attigimus, tẽperãtia in victu. Quod etiam phyſica,ac neceſſaria ratione confirmari poteſt. quoniã cibus qui ſumitur,primũ quidẽ in ſanguinẽ, & in corporis alimẽtũ vertitur:quod ſi abundãtior fuerit,quã conſeruãdo corpori ſufficiat,ex eo videlicet quod ſupereſt,generantur humores obſcœni,qui ſunt animãtibus à natura inſiti ad fœtus procreandos.Hi vero humores cum geniti fuerint , vt ait quodam loco Galenus,extimulant animal,& impellunt ad id cuius gratia facti ſunt ; eoque magis , quo maiore copia.Quamobrẽ vere de hoc S.Amb. cibo,inquit,flãma alitur, & deficit. Siquidẽ fœnũ, ſtipula, lignũ,oleũ,aliaq; eiuſmodi alimenta ignis ſunt , quibus paſcitur.Ea ſi detrahas,vel non ſuggeras, etiam ignis ſopitur.Similiter ergo vapor corporis cibo alitur,aut minuitur, cibo excitatur, cibo ſoluitur, Luxuria igitur mater libidinis eſt. Idem dicit, & S.Chryſoſtomus, vt nauis,ait, cum plus æquo onerata eſt, neceſſario mergitur,

Lib.6. de locis aff.

Epiſt.15.

Orat.6. de prouid.

mergitur, nec eam iuuare poteſt maris tranquillitas, nec ſcientia Gubernatoris non multitudo nautarum, non apparatus copia, non denique vllares alia. Sic qui delicate, & molliter corpus tractant, in exitij pelagus demerguntur, nec eos doctrina, & inſtitutio, non admonitio, & conſilium, non timor futuroruin, non pudor præſentium conſeruare poterit, ita fluctuantem animam, ſed nolentem deprimit, & eo proijcit, vnde reſurgere difficile eſt. Atque hęc quidem quæ vno ore ab omnibus Sanctis Patribus dicta ſunt, non aliis tantum dicta ſunt, ſed etiam vobis Cardinalibus. Cur enim ſoli hac lege exempti ſitis, cum vt ſupra diximus, eandem carnem, eandemque carnis corruptelam inſitam geſtetis, quam alij? Itaque apparet illa lautarum menſarum abundãtia, illæ quotidianæ epulæ, ille lectorum apparatus tam mollis, in quas miſerias impellere poſſint, niſi caueatis. Ego vero addo etiam honorem ipſum, & ipſam opum copiam, & reuerentiam ab omnibus exhibitam, denique affluentiam quandam omnis proſperitatis. Hæc enim ſi recte conſi

conſideremus inſolentiam, & licentiam quandam pariunt, quæ ſemper proxima eſt ruinæ. Extat Borromei prudentiſſimi, & optimi Cardinalis Epiſtola ad Andream Battorium Cardinalem Poloniæ Regis propinquum, in qua Epiſtola cum præter alia teſtatus eſſet, in hoc ſanctiſſimo ſtatu exigi omnino caſtimoniam, & quidem ſingularem, adiungit. Quam nunquam aſſequeris, niſi te carnis macceratione afflictaueris, ſenſus omnes compreſſeris, ocium vt peſtem fugeris, denique niſi in huius diuini doni pulcherrimi conſeruationem, quod ille tibi cuſtodiendum dedit, omnem animi, ac mentis tuæ vim intẽderis. Mirum eſt enim quam facile ab iis perdatur, qui in eius conſeruationem non inuigilent. Nec aliam ob cauſam S. Paulus Timotheũ, quem ab infantia educauerat, ſacraſque literas edocuerat, qui corpore erat imbecillo, & infirmo, qui ieiuniis, & aquæ potu carnis petulantiam fregerat, tam ſerio monet, vt ſe ipſum caſtũ cuſtodiat. Hæc ille vere & ſapienter. Sed libet hoc totum argumentum concludere egregia S. Hieronymi ſen- 1.*Tim.*5.

tentia,

In c.2.ad Mich. tentia, quæ cum de Ecclesiasticis Principibus loquatur, nullis verius conuenit, quam Cardinalibus. Sed & Ecclesiæ quoque, inquit, Principes, qui deliciis affluunt & inter epulas, atque lasciuias, pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit, quod eiiciendi sint de spacioſis domibus, lautisque conuiuiis, & multo labore epulis conquisitis, & eiiciendi propter malas cogitationes, & opera sua. Et si vis scire, quo eiiciendi sunt, Euange-
Mat.22. lium lege, *In tenebras* scilicet *exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium.* Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoque, & abstinentiam complectamur.

Quomodo Cardinales vti debeant diuitiis.

CAPVT XV.

EST etiam genus quoddam temperantiæ erga ipsas diuitias, vt scilicet

cet

cet tum earum amorem tum etiam vſum moderetur, & dirigat ex præſcripto rectæ rationis. Quod fortaſſe non minus eſt difficile, quam id, de quo iam diximus, in delectationum moderatione verſari; nam hic quoque magni ſunt, & acres ſtimuli. Neque tamen diuitias in Cardinali damnamus, quin potius probamus, & neceſſarias confitemur, idque non vſus modo receptus etiam à bonis, & probatus ab omnibus, ſed ipſius quoque Dei iudicium, decretumque confirmat. Videmus enim Deum in veteri lege magnas vtique diuitias, tũ Pontifici, tum Sacerdotibus, & Leuitis, quibus noſter Clerus reſpõdet, aſſignaſſe. Licet enim nullam eis partem certam promiſſæ Hebræis terræ attribuerit; attribuit tamen decimas, primitias, & alia eiuſmodi, ex quibus ingentem omnino ſummam conflari neceſſe erat. Neque vero hoc perfectioni repugnat. Verum enim eſt quod ait S. Gregorius: Non cenſus in crimine eſt, ſed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit bona ſunt, ſed qui bonis male vtitur, profecto agit, vt quaſi per edacitatis inglu

Num. 18

10. *mor.* c. 17.

ingluuiem, eo, quo viuere debuit pane, moriatur. Quoniam igitur non vſus, ſed prauus vſus diuitiarum reprehendendus eſt, videamus, quid in hoc genere ſeruare te oporteat, ne quandoquidem mihi præceptoris perſonam impoſuiſti, quidquam omittam eorum, de quibus monendus eſſe videaris. Primum autem eſt illud, quod
Pſal. 61. in pſalmo præcipitur. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Apponit autem cor qui eas amat, qui iis gaudet, qui eas magnum aliquid putat. Itaque adhiberi quidē debent ad vitæ neceſſitates, ſed vt terra, ſine qua ne viuere quidem poſſumus, & tamen adeo non habetur in pretio, vt etiam pedibus teratur, &
Hom. 19. in Ezec. ſi quid forte adhæſerit, ſtatim excutiatur. Hoc enim illud eſt quod S. Gregorius in Ezechielem præcipit, cuncta
15. mor. c. 29. temporalia vſu, non affectu poſſidenda. idemque in moralibus. Quiſquis temporalia nimie diligit, ſe magis illis, quam ſibi ipſa ſupponit. Multi enim Iuſtorum in hoc mundo diuites fuerunt, rebus, & honoribus fulti. Habere multa videbantur, quorum mentem, quia eorum quæ aderant delectatio

nimia non poſſidebat, bona illorum in manu erant, quia poteſtati animi ſubiecta tenebantur. Hoc igitur idem Eccleſiaſticus Princeps facere debet, vt opes ſuas habeat, non vt ab illis habeatur, id eſt, vt ſit ipſe ſuperior omnibus rebus quas poſſidet, in eas liberrime dominetur, immo vero illas etiam ſubter ſe habeat, deſpiciat, contemnat, non autem illis quaſi captiuus ſeruiat. Neque hoc difficile ſi harum rerum naturam ipſam conſideres, quam ſint inſtabiles, quam vanæ, quam nullius momenti, immo etiam quam ſæpe noxiæ,& damnoſæ. Sapienter enim Sanctus Chryſoſtomus diuitias, ſeruum ait eſſe fugitiuum, nec tantum fugacem, ſed etiam hericidam, quia non eo contentæ, vt poſſeſſorem deſerant, inſuper etiam ſæpiſſime iugulant. Atque idem alio loco id perpendit, quod Dominus apud Matthæum, non ſimpliciter diuitias, ſed fraudem ,& deceptionem diuitiarũ appellat, quoniam, inquit, nihil aliud eſt in diuitiis præter deceptionem. Nam voluptas,& gloria, ornatus,& pompa, horumque ſimilia, phantaſmata quædam ſunt, nullam rem

Homil. in Eutrop. tom. 6.

Homil. 45. in Matth.

rem vere continentia. Vere phantaſmata ſtulto errore, falſaque mentis imagine nixa. Quid enim tandem boni ineſt in domo aurata, in ſuperbis aulæis, in tapetibus ſumptuoſis? Aut quid iuuat reconditam habere multam veſtem omnis generis, quæue ex eo vtilitas? Nam quod ſolidi fructus ex domo exiſtit, vt frigus, aut æſtus depellatur, id quidem perinde exiſtit ex domo mediocri. Quare ornatus illi ex marmore, ex ſtatuis, ex picturis, illi magnifici apparatus, & cætera eiuſmodi pompa nihil ſolidæ vtilitatis afferunt. Itaque veriſſimum eſt, quod idem S. Chryſoſtomus alibi docet, terrena omnia pro nihilo habenda eſſe, neque vllum per ſe pretium, ac dignitatem habere, ſed ex ſola opinione noſtra, idque probat exemplo gemmarum, in quibus ipſis, nihil ſit cur tanti æſtimentur, cum communes lapides, & magnitudine, & vſus commoditate, interdum etiam pulchritudine multo ſuperiores ſint. Huc adde, quod hæc caduca bona oſtentant potius vſum, quam continent, cum ſatis appareat ſi quid habeant vel vtilitatis,

Hom. 10. ad Phili.

vel

vel ſplendoris, id ita fluxum eſſe, ita incertum, vt nunquam ſecuro animo poſſidere poſſis. Quam ob cauſam optime S. Gregorius in hanc ipſam ſententiam illud affert Apoſtoli. Præterit figura huius mundi, ac ſi, inquit, aperte diceret, Nolite conſtanter diligere mundum, quando & ipſe non poteſt quem diligitis, ſtare. Incaſſum cor qnaſi manentes figitis, dum fugit ipſe quem amatis. Atque idem alio quodam loco aptiſſime totum hunc mundum ruinoſæ domui comparat: Si enim ait ruinam ſui domus quaſſata minaretur, quiſquis in illa habitaret, fugeret; & qui ſtantem dilexerat, recedere quantocius à cadente feſtinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur, opprimi potius volumus, quam habitare, quia nulla nos ratio à ruina illius ſeparat, quos eius paſſionibus amor ligat. Hæc igitur quæ ſatis ſufficiunt ad res omnes terrenas apud cuiuſuis animum in contemptum adducendas, quanto magis apud animum Cardinalis, qui pro gradu, quem tenet, omnem perfectionem præſtare debet?

3. pa. paſt. adm. 28.

1. Cor. 7.

Hō. 4. in Euang.

Valet

Valet enim hic illud D. Ambroſij argumentum. Si, inquit, Euangelio Domini etiam populus ipſe ad deſpicientiam opum informatus, atque inſtitutus eſt, quanto magis nos leuitas, oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio eſt.

Cæterum in hoc vſu diuitiarum, de quo loquimur, illud etiam tibi omnino ſeruandum erit, vt quantæcunque affluant opes, memineris ſemper arrogantiam, & faſtidium fugere, contra vero humilitatem retinere, comitatem, affabilitatemque ſermonis. Ob hanc enim cauſam laudat S. Gregorius Abrahamum, qui cum tam locuples, & opulentus eſſet, tamen adeo demiſſe loqueretur, vt etiam ſe pulueris, & cineris loco haberet. Quid, inquit, iſte diuitias ſuas æſtimare nouerat, qui ſemetipſum puluerem, cineremque penſabat? Aut quando hũc res poſſeſſæ extollerent, qui de ſe quoque earum poſſeſſore tam abiecta ſentiret? Immo vero ille etiam ſenſus optimus, valdeque conueniens Cardinali, vt non ſolum non efferatur diuitiis, ſed potius extimeſcat ne præſens

10. *mor.* c. 17.

felici

felicitas futuram felicitatem vel impediat, vel certe imminuat. Hoc enim illud eſt quod docet B. Gregorius id interpretans, quod dictum eſt, ad diuitem illum,Recordare quia recepiſti bona in vita tua. Si qui eſtis, inquit, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepiſtis, ipſum, vt ita dicam, donum pertimeſcere debetis,ne vobis pro quorundam veſtrorum actuum recompenſatione ſit datum;ne Iudex, qui hic exteriora bona reſtituit, à retributione boni intimi repellat,ne honor hic,vel diuitiæ, non adiumentum virtutis, ſed remuneratio ſit laboris. Hæc igitur cogitatio, atque hic timor multum proderit, tum ad humilitatem, quam diximus, tum ad rectum vſum copiarum.Poſtremo illud etiam in diuitiis tenendum, vt ex iis quoque nouam cauſam, nouamque obligationem tibi iniectam intelligas ad bene viuendum, perfectionemque ſectandam. Quid enim ſunt aliud bona Eccleſiaſtica,quam res Deo dicatæ,atque ob id dicatæ, vt ipſius Eccleſiæ miniſtri alantur? quem autem ad finẽ alantur, niſi vt Eccleſiæ ſeruiant, quem-

Homil. 40. in Euang. Luc. 15.

admodum decet miniſtros ? Quod etiam eo magis valet quo maiora ſunt hæc bona, vberiores redditus, ampliores facultates. Ex quo apparet quales ex hoc etiam capite eſſe oporteat Cardinalium mores , quam ſanctitatem, quantam alacritatem ad omne opus, & ad omnem laborem pro Domini Eccleſia ſubeundum. Bene S. Bernardus, Væ væ tibi Clerice, mors in olla, mors in ollis carnium , mors in huiuſmodi delitiis eſt , non modo quia ſecus introitum delectationis poſita eſſe cognoſcitur, ſed ob id maxime, quia populi conſtat eſſe peccata quæ comedis. Sumptus Eccleſiaſticos gratis habere, te reputas? Peccata populi comedis , ac ſi propria tibi minus ſufficere viderentur. Solicitus eſto tanquã rationem redditurus , pro eis gemitus fundere , dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioquin tibi ea noueris imputanda, quæ modo inter delicias comedis, & paruipendis , tanquam nihil attinentia tibi. Venient , venient ante tribunal Chriſti : audietur populorum querela grauis , accuſatio dura , quorum vixere ſtipendiis , nec diluere pec

Hom. ecce reliquimus.

peccata,quibus facti ſunt duces cœci, fraudulenti mediatores. Quid tibi inſipiens deliciæ ſapiunt ? quid diuitiæ illæ cœcos delectant oculos, quibus mercaris tam graue iudicium,tam duræ temetipſum obligas rationi ? Hæc Sanctus Bernardus.

Iam vero ſi aliquid ſpeciatim dicendum eſt de recto vſu harum facultatum, quas Eccleſia tam amplas ſuppeditat Cardinali , ſatis conſtat non modo neceſſitati naturæ ſatisfaciendum,ſed etiam decentiæ ſtatus: quod cum omnibus commune ſit , illud quoque ſequitur , vt quo quiſque altiore in ſtatu ſit , eo maiores illi ſumptus concedantur. In hoc autem decoro perſonæ , tria ſpectari poſſunt, commoditas,ſplendor,& luxus, quorum trium , hoc quidem poſtremum ad vitia pertinet , de quibus proximo capite agetur,ſemperque reiiciendum eſt; alia duo non ſolum tolerabilia, ſed etiã laudabilia ſunt. Nam quod ad primũ attinet , nemo ita durus fuerit, qui præter neceſſitatẽ vitæ non inſuper concedat Prælato,quæ ad eiuſdem vitæ cõmoditatem quandam pertinẽt,

eoque magis, cum aliquæ concurrunt circumstantiæ, quæ id postulant, vt si eminentior dignitas, si maior sanguinis nobilitas, si valetudo imbecilla, si ætas iam grauior, si denique plures labores pro Dei Ecclesia suscepti fuerint. Immo vero non hoc solum, quod aliquo modo ad vitam tuendam referri videtur, sed splendorem quoque aliquem, & ornatum, ac maiestatem
p. 3. tit. Cardinali permittimus. Sic enim B.
22. c. 2. Antoninus docet, decere Cardinales, vt apparatum aliquem habeant equorum, & famulorum, & ministrorum, ne dignitas, inquit, vilescat. Optima, & euidens ratio. Est enim hoc valde proprium humanæ naturæ, vt sensibus moueatur, quia quandiu videlicet anima in hoc corpore viuit propter admirabilem illam coniunctionem, quæ est inter vtrumque, omnino necesse est, vt, velit nolit iis afficiatur, quæ per sensus, ac præsertim per oculos ingeruntur, Quæ fuit causa cur Deus ipse animo quidem præcipue, ac spiritu coli se voluerit, sed præterea externa etiam quædam iusserit adhiberi, vt scilicet se humano captui accõmodaret.

Itaque

Itaque in veteri lege etiam de veſtimentis, & ornatu ſummi Sacerdotis multa præſcripſit, quæ omnia præter myſterium quod cõtinebant, eo etiam pertinebant, vt admirationem quandam apud populum mouerent. Nec valet quod obiici poſſet de Sanctis Apoſtolis, qui nullo eiuſmodi externo apparatu, ac potius contra in ſumma paupertate, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, vt Paulus ait, tamen Prælatorum ſtatum cum tanta dignitate tenuerunt. Hæc enim fuit certa quædam ratio, & illorum temporum propria, cum Eccleſiæ fundamẽta iacienda eſſent, ne orbis conuerſio humanæ potentię tribueretur. Accedebãt deinde etiam miracula, quibus ſibi venerationem ſatis, ſuperque conciliabant. Nunc autem cum & hæc ſigna, prodigiaque ceſſarint, & Eccleſia iam ſatis fundata, & propagata ſit, ſine dubio niſi aliquid eſſet, quod hominum oculos caperet, non modo apud rudes, & vulgares, qui fere tantum capiunt, quantum vident, minimumque ratione vtuntur, ſed plane apud omnes minor eſſet reuerẽtia, & auctoritas Præ-

Exo. 29.

2. Cor. 11

latorum, labaretque in multis Eccleſiaſtica obedientia,ex quo etiam contemptus ſequeretur. Quare, vt dixi, ſplendor hic externus, & probandus, & laudandus eſt,in Cardinali, & quidem aliquanto etiam maior, quam in Epiſcopo, aut in aliis eiuſmodi, pro maiori eminentia dignitatis. Poterit igitur aliquam retinere maieſtatem,in omni apparatu, in habitatione, in veſtitu,in ſupellectili, in menſa, in lectorum operimentis, in equis etiam, ac rhedis, & argenteis aliquibus vaſis, quando S. Auguſtinus ipſe Epiſcopalis vitæ exemplar aliquid argenti ad ſuam menſam adhibuiſſe perhibetur. Quod ſi de famulorum numero agatur, primum quidem licebit omnes habere, qui ad domeſtica munera neceſſarij ſint,quę vt apparet multa ſunt, & varia, deinde ne prohibendi quidem ſunt nobiles aliqui ſtipatores,ſed non nimis multi, & omnino ſi aliquid definiendum eſt, ad quatuor vel ſex, aut certe non multo plures, ſed hos honorarios, quos permittimus, non adulatores, aut ſcurras eſſe oporteret, qui quoniam nihil ſciunt aliud,totum

tem

tempus,garriendo,iocando,detrahendo consumunt, sed doctos,& probos. Sic enim,& vtilitatem , & dignitatem adderent Cardinali. De qua re extat decretum Conc.Latera.sub Leone X. *Sess.9.*

Hæc igitur de domestico sumptu. Post hunc autem nihil non modo salubrius, sed etiam honestius , & glorioſius existimabis , quam facultates tuas conferre ad pauperes egentesque subleuandos; Quæ liberalitas , si omnes decet Christianos,quanto magis eum , qui Ecclesiasticos redditus administrat, qui potissimum huc sunt destinati? Igitur cum tibi ipsi necessaria ad victum , cum etiam decentia ad statum sumpseris , reliqua sane ita tenuioribus erogare debebis , vt non te dare putes , sed quod debeas reddere; Atque hæc largitas etsi pro facultate moderanda est , tamen si in alterutro excedendum sit, satius est beneficentiæ fauere , non modo quantum ferant redditus , sed propemodum etiam paulo plus quam ferant. Exéplo fuit Borromeus,cuius arca ex eleemosynis pene semper exhausta, quotannis etiam ad multa millia erat obærata.

Neque tamen timebat nouas ſubire impenſas in gratiam pauperum. Quin etiam cum Oirenſem principatũ quadringentis aureorum millibus vendidiſſet, intra dies viginti & quinque, omnia in egenos, & pia opera contulit. In quo genere non ea tantũm comprehendũtur, quæ quaſi in manũ dantur, ſed etiã quæ in poſterũ ſtabiliuntur ad miſeros ſubleuandos, vt modo Vrbanus VII. pecuniam, quã Cardinalis parſimonia, & moderatione ſua redegerat, non propinquis, quos multos, & tenues habebat, ſed virginibus collocandis reliquit. Cui quidem pietati primum locum tribuẽdum puto, proximum vero ei qui ſcholaſticis impenditur, vt literarum ſtudia tueri poſſint, cuius rei gratia, multi collegia, domoſque inſtituere, vt Branda Caſtillionus, & nuper Borromeus Papiæ, Stephanus Nardinus, & Dominicus Capranicus Romæ, Pileus Pratus Patauij, Esbigneus Cracouiæ, Ægidius Carillus Bononiæ, omnes Cardinales. Quo loco vel in primis etiam reponi debent quæ ad ædes ſacras, vel ædificãdas, vel cum opus eſt reficiendas conferuntur,

cuiuſ

cuiuſmodi multas in vrbe ſpectamus. Hoc enim adeo laudandum eſt, vt ipſe Ariſtoteles de magnificentia diſſerens, ex omnibus expenſis, eas honoratiſſimas eſſe dicat, quæ fiunt ad templa extruenda, vel donaria iis offerenda,& omnino quæcunque impenduntur ad publicam vtilitatem,& ornatum. Quo in genere inter omnes fere noſtræ ætatis Antiſtites eminere videtur magnificentia Alexandri Cardinalis Farneſij, qui dignum familia, dignum amplitudine ſua Templum Ieſu Deo filio extruxit. Sed in his omnibus præcipua ratio habenda eſt eorum locorum vnde redditus ipſi proueniant, quod iam non modo ad liberalitatem, ſed etiam ad iuſtitiam pertinet, nam & D. Antoninus inter alia Cardinalium peccata, hoc commemorat, ſi non curent, vt Eccleſiæ ſibi commendatæ, tum ſartæ, & rectæ conſeruentur, tum etiam Eccleſiaſticis officiis pro ſua qualitate frequententur, poſtremo, vt animarum quæ ipſis ſubiectæ ſunt, diligens cura geratur.

4.eth.c.2

p.3.tit.2. c.2.

Quæ vitare debeant Cardinales in vſu diuitiarum.

CAPVT XVI.

AD hoc idem diuitiarum caput pertinet, nõ modo quid fieri, ſed etiam quid non fieri debeat, & quid in iis vitandum ſit, præſertim cum multa in hoc genere vitia ineſſe ſoleant, in quibus humana infirmitas admodum facile labi ſolet. Incredibile eſt autem quam multa vitia ex diuitiis ſcatere ſoleant, quaſi vermes ex putri limo, vt recte monuerit S. Chryſoſtomus. Ne-
Pſal. 9. mo opum, & facultatum copiam perſequatur, Multa hinc mala oriuntur iis, qui non attendunt, arrogantia, ſocordia, inuidia, vana gloria, & alia his
In Pſ. 38. multo maiora. Idemque alio loco diuitias, ait eſſe omnis abſurditatis parentes, inuentrices omnium malorum, luxum animi, corruptionis adiutrices, hoſtes continentiæ, inimicas temperantiæ, denique occultos fures omnis virtutis. Hæc omnia his ipſis verbis

verbis S. Chryſoſtomus, Epiſcopus ipſe, & Doctor egregius. Quare cum tam multa mala ex opibus oriantur, videamus in Cardinali, quæ ſint ea, in quibus præcipue poſſit offendere, Primum autem eſt, ſi modum in habendo tranſgrediatur. Nam etiã ſi nihil aliud ſit, tamen nimium diuitem eſſe Cardinali vitioſum eſt. Docet hoc S. Antoninus diſertis verbis, cum ait, quærere, aut etiam recipere plura beneficia, quam huius ſtatus, vel neceſſitas, vel decentia exigat, peccatum eſſe, reddit-que rationem, quia hoc nihil ſit aliud, quã auferre iis, qui egent. In cuius ſententia hoc etiam notandum, quod non modo venari ſuperfluas opes, ſed etiã oblatas admittere putat eſſe culpam. Idem cõfirmat alter Theologus Aluarus, qui itẽ ait peccari à Cardinalibus cum nimis dilatant redditus, occupantes multa beneficia, deuorantes ſtipendia multorum miniſtrorum. Hæc ſunt enim eius ipſius verba. Facit etiã ad hãc rem egregia S. Hieronymi ſententia in illa verba Ezechielis, *Principes eius in medio illius, quaſi Lupi rapientes, prædam, ad effundendum ſanguinem, nõ corporum*

p. 3. tit. 21. c. 2.

2. de plãctu c. 16.

In c. 22 in Ezec.

ſanguinem (ait Hieronymus) ſed animarum, vt auare ſectentur lucra, nequaquam illo contenti, Qui ſeruiunt altari, viuant de altari, ſed poſtquam ad miniſterium Dei acceſſerint, Crœſi diuitias congregent. Quod ſi quæras, quiſnam modus Cardinalium redditibus ſtatui debeat, difficile ſane eſt id definire, ac potius relinquendum ſapientum arbitrio, qui tum dignitate, tum dignitatis oneribus perpenſis id æſtiment, atque decernant. Paulus quidem Corteſius vir doctus, qui Protonotarius Apoſtolicus iuſtum volumen de Cardinalatu ſcripſit ad Iulium Secundum, in illo volumine inter cætera viginti colligit rationes, cur omnium Cardinalium redditus eſſe debeant æquales, quoniam, vt ille ait, tãta præſertim inæqualitas, quãta ſæpe cernitur in pari conditione, & in eodem ſtatu aliquid iniuſtitiæ habere videatur. Idem etiam addit, hanc definitionem, non adeo anguſte faciendam eſſe: ſed potius tam large, vt & honorifice viuendi, & aliis, impertiendi, ac largiendi facultatem habeant. Quare is quidem ſingulis Cardinalibus duo-

Lib. 2.

dena

dena millia ſuo iudicio tribuit. Sed in hac re non eſt noſtrum aliquid decernere, aut conſtituere. Tantum illud maneat, quod ante diximus, illam abundantiam, quæ iuſtos, & rectos limites excedat, peccatum eſſe. Eſt etiam peccatum cupiditas ipſa, & affectus habendi plura, de quo affectu recte dictum eſt à S. Chryſoſtomo, Nullum malum Deus fecit, ſed omnia bona valde. Quamobrem bona etiam ſunt pecuniæ, ſed ita demum ſi in eos, qui poſſident, dominatum non obtineant. Neque enim bona eſt lux illa, quę non delet tenebras, ſed eas auget. Neque eas dixerim diuitias, quæ paupertatem non adimunt, ſed augent. Quare non ſunt malum diuitiæ, ſed pauper animus, qui diuitias conuertit in paupertatem. Igitur ſi omnibus hæc cupiditas tum pernicioſa eſt, tum etiam turpis, quanto magis erit Clericis, & iis præſertim, qui in Clericorum ordine proceres quidam ſunt? Bene S. Gregorius, Cum diuinæ inquit, lectionis teſtimonio, Idolorum ſeruitus auaritia nuncupetur, quo ſtudio de domo Dei ſit pellenda cognoſcitur, & à qui

Hom. 14. in epiſt. 1. ad Cor.

Lib. 9. epiſt. 49.

quibuſdam Sacerdotibus, quod gementes dicimus, non cauetur. Tenet enim captiuum cor ſuum cupiditas,& licitum eſſe ſuadet malum, quod imperat. Idem etiam docet S. Bernardus, qui contra eos acerbe inuehitur, qui cum ſint de crucifixi patrimonio, nimium incraſſati, impinguati, dilatati, animarum quidē vel ſalutem, vel ruinam, nihili æſtimant, qui inquit, Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clauos, lāceam, crucem,& mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflant,& profligant, in acquiſitionem turpis quæſtus, & pretium vniuerſitatis ſuis marſupiis includere feſtinant. Ita Sanctus Bernardus. Quare perſpicuum eſſe debet, omnino extirpandum, radicitus Cardinali hunc amorem,& ſtudiū habendi, contra vero aſciſcendum eſſe, ſemperque conſeruandum animum pecuniæ contemptorem. Ad quod caput illud etiam pertinet, vt tum in dando cum opus eſt, munificus ſit, tum etiam in exigendo, non acerbus. Hoc enim mercatoris eſt potius, qui ad rem ſuam attentus ſit. Vir autem ille Eccleſiaſtico Principatu dignus rationē quidem habebit

Serm.10. in Cant.

Digitized by Google

habebit rei familiaris, ſed eatenus, vt eam temere dilabi non ſinat, omnem autem fugiat illiberalitatis, & tenacitatis ſuſpicionem. Itaque vel in vendendo, vel in emendo, vel in contrahendo, ea quidem per tuos maxime curabis, ipſe vix attinges; cæterum in omnibus ages liberaliter, potiuſque de tuo iure concedes, quam nimium ſtricte exigas: à litibus vero quantum liceat, & paulo etiam pluſquam liceat, abhorrebis. & me quidem auctore, nullam litem ſuſcipies, niſi coactus neceſſitate, & præſertim ad iura Eccleſiæ tuenda, idque ipſum moderate, ſemperque paratus ad componendas controuerſias omni conditione, non modo æqua, ſed etiam tolerabili. Quod vero ad domeſticas rationes attinet, optimum conſilium eſt, ac pene neceſſarium, vt quantūm poſſis temet eis eximas, neque ipſe reddituum procurationem, aut dati, vel accepti ſupputationem ſuſcipias. Hoc enim quam indignum ſit Prælato, indicat S. Bernardus, cum ait, Quid Epiſcopo turpius, quã incumbere ſupellectili, & ſubſtãtiolæ ſuæ ſcrutari omnia, *Lib. 4. de conſid.*

ſciſci

ſciſcitari de ſingulis, morderi ſuſpicionibus, moueri ad quæque perdita, vel neglecta? Quod cum ita ſit, tamen quoniam ex altera parte, non quidem perdenda, & diſſipanda eſt res familiaris, addit S. Bernardus optimam viam, vt temporalia iſta Prælatus per aliquem alium curet, in quo quidem ſit fides, ſit prudentia, addatur etiam auctoritas, dando ſcilicet ei facultatem agendi pro libito, ita vt ei ſubdantur omnes, nemo ei reſiſtat. Quod ſi vtrunque in vno coniunctum non inueniatur, vt ſit & fidelis, & prudens, melius eſſe ait fideli committere. Si vero nec ſatis quidem fidelis ſupperat, ſatius tamen eſſe minus fidelem ſuſtinere, quam ei ſe labyrintho immergere. Nam Saluatori quoque Oeconomum fuiſſe Iudam. Hæc S. Bernardus. quæ ſunt veriſſima, & in primis Cardinali conueniunt. Cæterum ſi Eccleſiaſtica quoque munera obire tibi contingat, in quibus pecunia tractanda ſit, meminiſſe debes, ita te gerere, vt te ſemper ſerues intactum tum à culpa, tum etiã ab omni ſuſpicione; quod ſcribitur de Iacobo Cardinali Sadoleto, qui ex Gallica

Gallica Legatione reuertens, cum ex ipſo itinere ad ſuam Carpentoractenſem Eccleſiam diuertiſſet,quot dies illic commoratus eſt (nec plures fuere quam decem) ex ſuo ſumptum facere voluit,vtque Romam peruenit,totam eam partem ex ſuo viatico Apoſtolico theſauro reſtituit. Cæterum ex radice cupiditatis illud etiam mali naſci ſolet (quod vel maxime Cardinali vitandum eſt inter diuitias) vt rerum quæ poſſidentur, procuratio mentem in varias partes diſtrahat, itaque aggrauet temporalibus, & terrenis cogitationibus,vt ſe ad cœleſtia erigere non poſſit,aut ſi interdum erigatur, ſtatim ad hæc infima reuoluatur. Quod ne quis leue ducat incommodum, ex ea quidem occupatione ſubit paulatim Dei, & diuinarum rerum obliuio, ex obliuione cæcitas, & obſcuritas, hæc vero in tetra flagitia præcipitat.Quam ob cauſam S.Gregorius. Solet rerum abundantia, inquit, tanto magis à diuino timore mentem ſoluere, quanto magis hanc exigit diuerſa cogitare. nam dum per multa ſpargitur, ſtare in intimis fixa prohibetur. Neque hoc ſolo

1. *mor.c.* 4.

ſolo nocent diuitiæ Cardinali, ſi animum ſuum occupari, & diſtineri ſinat, ne ad Deum familiariter euolet, ſed etiam propter eam cauſam, quæ communis eſt rebus omnibus, quæ ſenſibus noſtris arrident. Hæc enim omnia, quæ naturæ adeo placent, & iucunda ſunt diſſoluere ſolent hominem, & facere neſcio quomodo vt euaneſcat, & effluat totus, ac diffluat: vt optimę à S.Bernardo dictum ſit: Quando proſperitas hoc incautis non fuit ad diſciplinam quod ignis ad ceram, quod ſolis radius ad niuem, vel glaciem? Sapiens Dauid, ſapiens Salomon, ſed blandientibus nimis ſecundis rebus, alter ex parte, alter ex toto deſipuit. Hæc S.Bernardus, & alia in eandem ſententiam præcipit Pontifici, quæ nos eadem ſimillime præcipere poſſumus tibi.

2.de conſid.

Reſtat vltimum in quo offendere poſſunt Cardinales in vſu diuitiarum, ſi extra modum ſumptu, & magnificentia procedant in domo, in ſupellectili, in numero, & veſtitu famulorum, & reliquis. Nam in hoc quoque peccari poſſe teſtatur B. Antoninus, qui licet

p. 3. tit. 21. c. 2.

licet externum hunc ſplendorem, vt proximo capite dictum eſt, concedat Cardinali, addit tamen moderandum eſſe ex præſcripto rectæ rationis, ita vt nihil ſuperfluum admittat. Quin etiam inter alia eius peccata, hoc quoque commemorat, ſi nimiã familiam alat. Idem confirmat etiam Aluarus. Si inquit, excedant in familia nimis magna, in famulis, in equis, in veſtibus pompoſis, in ſupellectili precioſa, nã optima quæque ex toto mundo ad eos confluere videntur. Hæc ille. Recte etiam S. Bernardus de omnibus Eccleſiaſticis communiter in quadam Epiſtola. Conceditur, inquit, vt ſi bene deſeruis, de altario viuas, non autem vt de altario luxurieris, vt de altario ſuperbias, vt inde compares tibi frœna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia, griſeaque pellicea à collo, & manibus ornatu purpureo diuerſificata. Denique quicquid præter neceſſarium victum, ſimplicemque veſtitum de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. Quin etiam idem Sanctus Bernardus ſermone quodam in

2. de plã. & tu Eccleſ. c. 16.

Epiſt. 2.

Serm. 23.

can

cantica in eoſdem Eccleſiaſticos. Qui ſtipendiis, quæ ſufficere debebant, minime contenti, ſuperflua, quibus egeni ſuſtentandi forent, impie ſacrilegeque ſibi retinent, & in vſus ſuæ ſuperbiæ, atque luxuriæ, victum pauperum conſumere non verentur. Grauiſſime hoc, ſed grauius in alio ſermone, in quo cum perſequutiones quaſdam Eccleſiæ infeſtiſſimas deſcripſiſſet, hanc vnã deſcribit, vt omnium maximam. Miniſtri, inquit, Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto, Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde ſplendidæ menſæ, & cibis, & ſcyphis, inde comeſſationes, & ebrietates, inde redundantia torcularia, & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia. Pro huiuſmodi volunt eſſe, & ſunt Eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi, Archiepiſcopi. Inteſtina, & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ, & ideo in pace amaritudo eius amariſſima. Denique idem S. Bernardus alibi de hoc ipſo argumento. Intuere quomodo incedunt nitidi, & ornati circumamicti

Serm. 33

Serm. 7. *cantic.*

varie

varietatibus, tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo. Vnde vero hanc illis exuberare exiſtimas, rerũ affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum, & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exangui. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare, non eſt cuſtodire, ſed perdere, non eſt defendere, ſed exponere, non eſt inſtituere, ſed proſtituere, non eſt paſcere gregem, ſed mactare, & deuorare. Plura etiam alia S. Bernardus, tum hoc loco, tum aliis multis. Quanquam quid hæc teſtimonia requirimus, cum extet luculentum ipſius Tridentini Concilij decretum, quod nec refelli poteſt, quia euidens eſt, nec negligi licet, quia iubentis eſt? Cum enim de Epiſcopis ita ſanxiſſet, vt modeſta ſupellectili, & in menſa frugali victu contenti ſint, & in reliquo vitæ cultu, atque in tota domo nihil appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, & vanita-

Seſſ. 25. c. 1.

tum

tum contemptum præ ſe ferat: cum hæc, inquam, Epiſcopis præcepiſſet, addit deinde, eadem etiam ad Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinere. Et merito. Eadem enim eſt ratio, quoniam ipſorum quoque dignitas, non laica ſed Eccleſiaſtica, & opes Eccleſiaſticæ, & ipſi item Dei miniſtri. Illud etiam amplius, quod eminentiori ſunt gradu, quo ſane augetur obligatio ſanctitatis. Quod ſi quis hanc ſuperfluam magnificentiam illo prætextu, quem nos ipſi ſupra attulimus, excuſare velit, vt hæc externa amplitudo, auctoritatem, & reuerentiam conciliet, verum eſt id quidem, ſed habet ea res modum ſuum, ex decoro perſonæ, qui modus ſi tranſeatur, non tantum non conciliatur auctoritas, ſed potius imminuitur. Quam in ſententiam illud aptiſſimum ex Concilio Carthaginenſi, quod etiam ſacro quodam Canone confirmatum eſt, Epiſcopus, inquit, vilem ſupellectilem, & menſam & victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem, fide, & vitæ meritis quærat.

d. 41. c. pen.

Hæc eſt via certiſſima, & optima veneratio

neratiōnis acquirendæ inter homines, ſi virtus emicet, ſi integritas, ſi grauitas, religio, ac pietas ita emineat, vt ab omnibus conſpiciatur. De magno illo Nicolao Myrenſi Epiſcopo, ita traditum eſt, cum Epiſcopus eſt factus, cœpiſſe vti veſte etiam viliori, & negle-ctiori, quam antea ſoleret, in qua nullus omnino eſſet nitor, aut faſtus, ſed caſtigatæ potius humilitatis, & modeſtiæ ſignificatio. Et tamen tantū abfuit, vt ea res aliquid detraxerit, de opinione, vt etiam multum auxerit. Sed quid antiqua re petimus? Cardinalis Borromeus, ne quis tempora cauſetur, notū eſt, quam omnem ſupellectilem alicuius pretij, conopœa, aulęa, aliaque eius generis abs ſe remouerit. Veſtibus vtebatur externis quidem, vt Cardinalis, interioribus vero ex ſimplici panno, & tela, quin etiam cubicularis amictus ex panno erat cinericio, rudi, & craſſo, quam ipſam veſtem quatuordecim totis annis nunquam mutauit, multaque alia eiuſmodi, quæ non eſt neceſſe referri, quoniam nota ſunt, & recentia, conſtanter ad mortem vſque ſeruauit. Quid hoc igitur de eius celebritate immi

imminuit ? Potius multum addidit. Nam qui hæc ſpecioſa habeant, multi ſunt, neque id virtutis eſt, ſed copiarum, quæ etiam in inſipientem cadere poſſunt, & ſæpe cadunt. At vero illa ſpernere ſapientiæ eſt, ideoque admirationem potius, & commendationem parit; Quare hoc poſitum ſit, debere Cardinalem in victu, & in omni cultu, atque apparatu tum ſuo, tum ſuorum non modo non tranſilire fines, ſed potius intra fines ſeſe tenere. Huius autem mediocritatis, ſi forma, aut præſcriptio aliqua conſtituenda eſt, non alia meo iudicio conſtitui poteſt, quam quæ à Gondiſſaluo bono auctore traditur, qui ita de Cardinalibus ſcribit, debere eos in hoc toto genere humilitati potius ſtudere, quam ſuperbiæ, atque elationi: ſequendum autem eſſe vſum, & conſuetudinem bonorum, ac frugi Cardinalium, hos enim omnibus, qui eodem ordine, & dignitate ſunt, imitari licebit. Quod etiam confirmari poteſt ſententia B. Auguſtini, ad hanc rem maxime appoſita; Quiſquis, inquit, rebus præter-euntibus reſtrictius vtitur, quam ſeſe habeant

Lib. de Card. n. 45.

3. doct. Chriſt. c. 22.

habeant mores eorum,cum quibus viuit, aut intemperans , aut ſupeſtitioſus eſt. Quiſquis vero ſic eis vtitur, vt metas conſuetudinis bonorum ,inter quos verſatur, excedat, aut aliquid ſignificat,aut flagitioſus eſt. In omnibus enim talibus , non vſus rerum , ſed libido vtentis in culpa eſt. Fieri enim poteſt , vt ſine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis pretioſiſſimo cibo ſapiens vtatur , inſipiens autem fœdiſſima gulæ flamma in viliſſimum olus inardeſcat. Ac de his hactenus.

Quomodo Cardinalis vti debeat honoribus.

CAPVT XVII.

ALiud quoque imminet Cardinali periculum ex honore ipſo præſertim tam magno , & tam perpetuo,qui vbique,& ab omnibus huic dignitati exhibetur. Eſt autem eo maius hoc periculum, quo dulcius , & quo etiam optatius , quippe cum hæc ipſa

sit causa cur tantopere à plerisque Cardinalatus expetatur. Quare magna Cardinali adhibēda est cura, ne quemadmodum antequam habeatur, adeo oculos præstringit sui desiderio, ita postquam habitus sit, præstringat item sui amore, quod & per se malum est, & alia multa mala secum aduehit. Atque etiam hic scopulus eo infestior est Cardinali, quod non vt in mari semel transeundo, se ab eo expedire potest, sed tota vita sua adnauigare cogitur semperque prope immorari, vt nisi caueat, & prouideat, magnum semper damnum, instare videatur. Quare hoc conari debes, vt non modo nullum damnum accipias, sed etiam artem aliquam teneas faciendi ex hoc ipso lucri, quod quidem in eo præcipue consistit, vt verum, rectumque sensum, de hoc tuo honore habeas. Non enim insipientiū more, qui nihil nisi oculis corporis vidēt, interiora autem oculis animi perspicere nō possunt, ita sinere debes seduci te, vt magnum quiddā existimes, ac pene diuinū, & in quo magna quædam insit vitæ fœlicitas. Hic est enim vt dixi, insipiētiū hominū error, qui

qui iſtum externum ſplendorem, iſta hominum obſequia, iſtam caducã gloriam ſuſpiciunt, & mirantur, quia videlicet præ mentis hebetudine, nec aliud melius cognoſcunt, & hæc ipſa nõ ſatis penetrare, nec præuidere poſſunt quid intus lateat. At vero vir ſapiens, qui recto iudicio, rem quamque æſtimare, & ponderare conſueũit, facile videt quam ſint omnia inania, quæ mundus defert, eaque tum in ſe ipſo, tum in aliis intuetur, vt rem futilem, & vanam vt fumum, & vmbram, denique vt nihil. Sic enim S. Gregorius: *Lib. 11. epiſt. 23.* Pompam mundi ſecura mẽs deſpiciat, conſiderans quã nullum ſit quicquid caſibus ſubiacet, quicquid fine cõcluditur. Idéque alibi. Quid ſunt, inquit, fauores linguæ, quid ſunt aliud labentium dignitatũ infulæ, niſi puluis? Nã mentem quam blandiendo ſordidant à veris ſplendoribus cœcant. Et quid diuitiæ pereuntes, & tranſitorię facultates, niſi ſtercora ſunt æterna diligentibus? Stercora quippe ſunt, quæ ſanctæ animæ in contemptu vilitatis habent, non in appetitu deſiderij. Huius autem humani erroris tam praui, tam- *2. in lib. Reg. c. 1.*

que frequentis origo, & cauſa eſt alter error, quem idem S. Gregorius alio loco ſapienter indicat, quia in hominibus, non naturam, qua ad imaginem Dei facti ſunt, ſed diuitias, & honores veneramur, cumque penſamus, quæ circa eos ſunt, negligimus penſare quod ipſi ſunt, quia nimirum externa illa videmus, ad hæc interna hebetes, & cœci ſumus. Sed tamen ſi hæc ſubtiliora non adeo capere poſſumus, illud certe apertum eſt, & omniũ oculis expoſitum: hæc gloria, hæc pompa, quæcunque eſt, quam ſit breuis, & fluxa, quamque cito abeat, & cum abierit, quam nullam ſui memoriam, ac veſtigium relinquat. Quamobrem vere, & recte S. Ambroſius. Nonne hæc omnia ſicut vmbra prætereunt? Nonne hæc omnia fabula? Nonne ſæculi theſaurus vanitas eſt? Nonne tu ipſe cinis? Reſpice in ſepulchra hominum, & vide quid ex te, niſi cinis, & oſſa remanebũt, hoc eſt ex corpore tuo. Reſpice, inquã, & dic mihi, quis ibi diues, quis pauper. Diſcerne inopes ac potentes; Nudi omnes naſcimur, Nudi morimur. Nulla diſcretio inter cadauera

Hom. 28. in Euan.

Lib. 6. exã. c. 8.

mor

mortuorũ,niſi forte quod grauius fœtent diuitũ corpora diſtẽta luxuriæ. Si ergo ita eſt,vt ait S. Ambroſius,immo, vt oculis ipſis oẽs cernimus, quid ſunt aliud honores iſti, & iſta inſignia,quibus humanæ mentes ad eo capiuntur, niſi quod optime ait S.Gregorius Nyſ- *De Beatitu.ſer.1.*
ſenus,qui omnia hæc ſcenæ comparat, in quam actores prodeunt perſonati, aureaque aut purpurea veſte nitentes pro his partibus quas agunt. Vt enim hi plane iidem ſunt, qui erant antea, eodem corpore,eodem animo, paulo-que poſt ornatu depoſito, illã quoque honoratam perſonam deponent; ſic qui magiſtratum aliquẽm gerunt, qui inter homines dignitate excellunt, etiam ſi externa quadam ſpecie differre videantur, non tamen eos naturam mutaſſe,& illam ipſam ſpeciem externam,quam geſtant breui tempore exuturos, vel inuitos. Quare etiam ſi in præſenti quidem ſuper alios eminere, aliiſque dominari videantur, id quidem ad breue tempus eſſe, dum hæc huius mundi quaſi fabula peragatur. Atque hoc etiã loco venit mihi in mẽtem egregium dictũ Andreæ Spinulæ,

cuius auctoritas in hac parte eo magis valere debet, quoniam ipſe quoque proxima ſpe Cardinalatus cõtempta, (erat enim Clericus Camerarius, & in magna gratia) ſuaue Chriſti iugum,& leue onus religionis in noſtra hac ſocietate,magno quodam animi feruore tollere ſuper ſe maluerat. Hunc igitur ego audiui, cum diceret valde ſe eſſe commotum cum antiquis Conciliis, vel Pontificum bullis euoluẽdis multa nomina veterum Cardinalium legeret, qui omnes ſua ætate clari fuiſſent & celebres,magna pompa per vrbem inceſſiſſent, opibus, clientelis, coniunctione Principum floruiſſent, nunc autem videret ita eorum obliteratam memoriam, vt illos extitiſſe, aut natos eſſe nemo ſciat. At illorum quidem nomen caſu in ſcriptis illis hæſiſſe:quã vero innumerabiles alios eſſe,quorum memoria omnino, ac penitus euanuerit, ac ſi in rerum natura nunquam fuiſſent. Et ſane ita res habet. Quæ enim notitia iam eſt Petri Foxi, eius, qui à Martino V.in Hiſpaniam Legatus longũ illud ſchiſma ſuſtulit? Quis iam de nomine nouit Ferrarium

rarium,Soderinum,Cornetanum,Serram, qui omnes ab Alexandro Sexto Cardinales creati, & tum ab illo tum ab aliis Pontificibus ad magna negocia ſunt adhibiti? Idem dicere licet de Galeotto, & Sixto fratribus ex Ruuerum familia, quos Iulius Secundus ſororis filios ad hunc honorem euexit. Idem de Clemente Mendenſi, Leonardo Agentenſi ex eiuſdem conſobrina natis. Idem denique de tribus celeberrimis Rotæ Auditoribus Antonio Mende,Petro Accolto, Achille Craſſo, quorum Cardinalium nulla iam ferme extaret memoria, niſi eos monumenta ingenij ab obliuione hominum vindicarent. Et hi tamen ſatis recentes. Illi autem recentiores Bonifacius Ferrarius, Matthæus Longus, Antonius Paccius, Ennius Philonardus, Nicolaus Gaddus, qui omnes à Paulo Tertio, itemque Ioannes Riccius, Fabius Mignanellus, Ioannes Poggius,Sebaſtianus Pighinus, qui ab ipſo Iulio Tertio ad Cardinalatum promoti nuper vixere, & floruere, nunc autem plane in hominum obliuione ſunt. Itaque piget iam plures

numerare, quod facile posſem, ex iis etiam quos ipsi vidimus, & nouimus. Ex quo apparet quid futurum sit post longius interuallum, cum hoc tam breui spatio eorum memoria omnino deleta sit. quorumdam etiam cum ipsis propemodum obruta sit ac sepulta. Quare non potest esse maior stultitia, quam ob tam breuem, & fugacem splendorem, tamque paucorum dierum (sic enim potius dicendum est quam annorum) ita inflari, & intumescere. aut etiam ita delectari, quasi re aliqua magna, & valde optabili: multo vero stultius, & miserius eius amore aliquid committere, quo Deum offendas, & propter quod æterna vita possis excidere. Addamus deinde etiam illud, quod est verissimum, hoc quicquid est gaudij in ista ipsa breuitate, admixtum esse tantis molestiis, & angoribus, & perturbationibus, vt multo plus habeat spinarum, quam florum, plus doloris, quam lætitiæ. Declarauit hoc Bessarium ille Cardinalis Nicenus, doctrina, & virtute insigni, quæ præcipue effulsit in Cõcilio Florentino. Cum enim aliquando

cum

eum neſcio quis felicē diceret in tanta dignitate, reſpondit, magnopere illum errare, vt qui nunquam eſſet expertus, nam reuera multo plus tædij, ac miſeriarū; quam delectationis ineſſe ac voluptatis. Melius hoc etiam Dominicus Cardinalis Papienſis, cui, vt ſcribit Paulus Corteſius, cum quidam familiaris hoc idem propoſuiſſet, ipſe vt olim Dionyſius ille rogauit, an fortunam illam experiri, & deguſtare vellet, cum ſe ille cupere reſpondiſſet, iuſſit hominem in ſuo ipſius cubiculo collocari, aſſiſtere famulos, & cubicularios ad nutum illius intuentes, tum admitti ſalutantes, & qui negocij cauſa aditum quærerent, ſed hac conditione, vt ad tuendam dignitatem cubiculo egredi non poſſet, niſi cum magno comitatu, neque vnquam Cardinalitię illius perſonæ grauitatem relaxaret. Quam ille moleſtiam cito pertæſus, multum rogauit, vt abire liceret, dicēs Cardinales potius ſeruos eſſe quā beatos. Sed hæc quidē ſeruitus non aliud malum affert, quam moleſtiæ, & laboris cuiuſdam. Illud grauius malum, quod etiā ad animæ, & ſalutis æternæ

Lib. 3. de Card.

periculum attinet. Sic enim videmus B. Gregorium interpretari, magnas illas foueas, de quibus ſcriptum eſt in libris Regum, vt per eas honores ipſi, & dignitates intelligantur. Quicquid enim, inquit, in hoc ſæculo altum cernitur, non eſt vera altitudo, ſed fouea quæ omnes quos in ſua ambitione recipit, ad inferna deponit. Quare hic ipſe ſenſus conſeruandus eſt à Cardinali in ſuo honore, vt non modo nihil ſibi ex eo blandiatur, ſed potius ita timeat, & trepidet, quaſi qui præruptam foueam repente ſibi obiectã videat. Ac præter hunc ſenſum timoris, illud etiã valde laudabile eſt in Cardinali, vt nullam lætitiæ titillationem admittat ex hac omni caduca, fluxaque gloria, ſed potius id in ſeipſo exprimat, quod Gregorius idé ex ſua vtique experientia iuſtis omnibus, & bonis commune eſſe ait, qui cum valde defleant, inquit, quia tarde ad patriã redeunt, tolerare inſuper honoris onera compelluntur. Amor eos æternorum conterit, & gloria de temporalibus arridet. Qui dum cogitant quæ ſint quæ in infimis tenent, & quæ ſint quæ de ſublimibus

4. in lib. Reg. c. vlt.

5. mor. c. 3.

non

non vident,prosperitatis suæ mœrore mordentur,quia etsi vident se nequaquam ab ea funditus opprimi ; pensant tamé solicite cogitationem suam, in amore Domini , & in eius dispensatione partiri. Hic est animus , hæc mens digna Cardinali, vt præ æternitatis amore , etiam odiosa fiat ei hæc præsens vitæ prosperitas,quoniam fieri non potest quin aliquo modo impediat , distrahatque cogitationem à cœlestibus,sed huius odij alia quoque esse potest, & esse debet causa ex Domini Saluatoris exemplo. Sic enim legimus de B. illa Elisabetha , Turingij Principis vxore , quæ die quodam cum ornatu , & comitatu Regio Ecclesiam ingressa , statim , ac crucem vidit , Christumque in ea pendentem, cœpit in lacrymas solui, & dolore acerrimo torqueri , ob hanc intimam cogitationem , quod cú Deus & Saluator suus in patibulo moreretur, ipsa gemmis,auro, purpuraque fulgeret:illius caput spinea corona cruciaretur,suũ aurea ornaretur, ille ab amicis,& discipulis desertus, vndiq; à derisoribus circunseptus esset,ipsi autem

multi famuli adeſſent, omnes eam colerent, atque ſuſpicerent. Quare cum ſe propterea infelicem, & miſeram, ac propemodum damnatam appellaret, quæ tam male ſuum imitaretur creatorem, tantum in ea valuiſſe hanc meditationem ferunt, vt exanimis in terram collapſa ſit, vixque multo labore, & opere ad ſe reuocari potuerit. Igitur hæc eadem ſecum debet Cardinalis meditari, cum ſe ab omnibus honorari, omnes ſibi aſſurgere, ſuoſque nutus obſeruare videt, vt non modo non his inaniter gaudeat, ſed potius quod ad ſe quidem attinet, moleſte ferat, & erubeſcat, quod tam longe à Domini Saluatoriſque ſui humilitate diſcedat. de quo ſcriptum eſt:

Pſal. 22. *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.*

Quin etiam, vt ante de diuitiis diximus, timeat, ne qui in hac vita exaltatur, deprimatur in altera, impari ſine dubio compenſatione, ſi pro tam breui honore probrum ſubeundum fuerit ſempiternum.

Illud vero ante omnia memineris Frater, nihil facilius eſſe, quam vt inter tantos

tantos honores obrepat etiam animo tumor, & ſuperbia, quæ cum per ſe innata ſit homini,neque eum vnquam deſerat in hac vita,quanto deinde magis,& alitur,& inflammatur hoc quaſi pabulo tam grato,ac dulci? Hoc enim eſt quod B. Gregorius tantopere reprehendit in Prælatis Eccleſiæ, qui humanam gloriam intenta mente captent qui eo ipſo quo cæteris Prælati ſunt ad agenda quælibet maiorem licentiam aſſumunt,qui denique ſuſceptæ benedictionis miniſterium vertunt ad ambitionis argumentum.Hoc etiam eſt, quod S. Bernardus grauiſſime condemnat,cum dicit pleroſque in Eccleſia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos ſubito intumeſcere,obliuiſci priſtinæ abiectionis, genus quoque ſuum erubeſcere,& dignos ſe æſtimare dignitate,ad quã ambiendo peruenerunt. Superbia igitur omni ope fugiẽda;cõtraque omni ſtudio,& cura retinenda eſt humilitas,vt tãto ſe ſubmiſſius gerant,quãto externo iſto ſplẽdore alios antecellũt.Quod ſane eo etiã diligentius curandum,quo plura ſunt in hoc gradu,quæ mentem

Hom.17. in Euãg.

Hom.4. miſſus c.

effer

efferre,& inflare poſsũt.Omnino enim verum eſt quod ſcribit S.Bernardus ad Archiepiſcopum,In alto poſito tam altum ſapere,difficile eſt, & inuſitatum, ſed quanto inuſitatius,tãto glorioſius. Timor de adepta iam altitudine tędere magis, quam placere facit altiora. Quamobrem magnopere fallũtur qui humilitatem Monachis tantum,aut religioſis conuenire exiſtimant. Plane enim omnibus conuenit,vel potius eſt omnibus neceſſaria, etiam ſi in altiſſimo gradu collocati ſint,& niſi eam retineant, quam alte in hominum oculis,aſcendunt, tam in oculis Dei, cadunt,& corruunt. Hinc enim illud S. Bernardi ad Eugenium Pontificem. Cum omni indifferenter perſonæ humilitas ſit quidem turris fortitudinis à facie inimici, neſcio quo pacto tamen vis eius maior in maioribus, & in clariotibus clarior comprobatur. Nulla ſplendidior gemma in omni præcipuo ornatu Summi Pontificis. Quo enim celſior cæteris,eo humilitate apparet illuſtrior,& ſeipſo.Hæc igitur humilitas in boni Cardinalis pectore ſuos quoſdam effectus habet inſi-

Lib.2.

gnes,

gnes, & illuſtres, primum erga Deum, vt ſe ei toto animo ſubiiciat, vt obediat in omnibus, vt cum timore, & tremore ſalutem ſuam operetur, caueatque, ne eminentia inter homines, & potentia, & opes animum extollant adeo, vt etiam apud Deum, aliquid ſe eſſe arbitretur, ſed vt dixi, abiiciat ſe ſe coram Deo, & puluerem, ac cinerem putet. Deinde etiam apud alios homines, ne aduerſus inferiores inſoleſcat, ne eos contemnat, ac deſpiciat, ſed omnes eiuſdem naturæ eſſe meminerit, eundémque patrem, cũdem habere iudicẽ Deum, neque vero impenſis ſibi honoris ſignificationibus gaudeat, nec ebrius vt dicitur dulci fortuna ſui ipſius ſuæq; infirmitatis obliuiſcatur, ſed hominẽ ſe eſſe meminerit, id eſt fragilẽ, atq; mortalem. Quin etiam vt ait Bernardus non ſe ex eo æſtimet, quod poſtea factus eſt, ſed ex eo quod natus eſt, quoniã adhuc eſt quod erat, nec illud reiectũ, ſed hoc adiectũ. Itaque ſi remota externa ſpecie atq; imagine iſta quam hominũ oculis illa pũrpura, & ille ſplendor oſtẽdit, interiora inſpicere velit, quid aliud ibi inueniet, *Lib. 3. conſid.*

quam

efferre,& inflare posſũt.Omnino enim verum eſt quod ſcribit S.Bernardus ad Archiepiſcopum,In alto poſito tam altum ſapere,difficile eſt, & inuſitatum, ſed quanto inuſitatius,tãto glorioſius. Timor de adepta iam altitudine tędere magis, quam placere facit altiora. Quamobrem magnopere fallũtur qui humilitatem Monachis tantum,aut religioſis conuenire exiſtimant. Plane enim omnibus conuenit,vel potius eſt omnibus neceſſaria, etiam ſi in altiſſimo gradu collocati ſint,& niſi eam retineant, quam alte in hominum oculis,aſcendunt, tam in oculis Dei, cadunt,& corruunt. Hinc enim illud S. Bernardi ad Eugenium Pontificem. Cum omni indifferenter perſonæ humilitas ſit quidem turris fortitudinis à facie inimici, neſcio quo pacto tamen vis eius maior in maioribus, & in clarioribus clarior comprobatur. Nulla ſplendidior gemma in omni præcipuo ornatu Summi Pontificis. Quo enim celſior cæteris,eo humilitate apparet illuſtrior,& ſeipſo.Hæc igitur humilitas in boni Cardinalis pectore ſuos quoſdam effectus habet inſi-

Lib.2.

gnes,

gnes, & illuſtres, primum erga Deum, vt ſe ei toto animo ſubiiciat, vt obediat in omnibus, vt cum timore, & tremore ſalutem ſuam operetur, caueatque, ne eminentia inter homines, & potentia, & opes animum extollant adeo, vt etiam apud Deum, aliquid ſe eſſe arbitretur, ſed vt dixi, abiiciat ſe ſe coram Deo, & puluerem, ac cinerem putet. Deinde etiam apud alios homines, ne aduerſus inferiores inſoleſcat, ne eos contemnat, ac deſpiciat, ſed omnes eiuſdem naturæ eſſe meminerit, eundémque patrem, eúdem habere iudicẽ Deum, neque vero impenſis ſibi honoris ſignificationibus gaudeat, nec ebrius vt dicitur dulci fortuna ſui ipſius ſuæq; infirmitatis obliuiſcatur, ſed hominẽ ſe eſſe meminerit, id eſt fragilẽ, atq; mortalem. Quin etiam vt ait Bernardus non ſe ex eo æſtimet, quod poſtea factus eſt, ſed ex eo quod natus eſt, quoniã adhuc eſt quod erat, nec illud reiectũ, ſed hoc adiectũ. Itaque ſi remota externa ſpecie atq; imagine iſta quam hominũ oculis illa purpura, & ille ſplendor oſtẽdit, interiora inſpicere velit, quid aliud ibi inueniet, *Lib. 3. conſid.*

quam

quam eandem infirmitatem, ac imbecillitatem, & miseriam, quam in aliis, sæpe etiam maiorē, quam in aliis plu-
Ibidem. rimis? Dirumpe ait B. Bernardus Eugenio velamē foliorum celantiū ignominiam, non plagam curantium. Dele fucum fugacis honoris huius, & male coloratæ nitorem gloriæ, vt nude nudum consideres, quia nudus egressus es de vtero matris tuæ. Nunquid infulatus? nunquid micans gemmis, aut floridus sericis, aut suffarcinatus metallis? si cuncta hæc veluti nubes quasdam matutinales velociter transeuntes, & cito pertransituras dissipes & exsuffles à facie considerationis tuæ, occurret tibi homo nudus, & pauper, & miser, & miserabilis, homo dolens quod homo sit, erubescens quod nudus sit, plorās quod natus sit, murmurans quod sit. Homo natus ad laborē, non ad honorē. Homo natus de muliere, & ob hoc cum reatu, breui viuens tempore, ideoque cum metu, repletus multis miseriis, & propterea cum fletu. Hæc & alia multa D. Bernardus, quæ si meditari, & semper ante oculos habere debet Pontifex ad studium

humili

humilitatis, quanto magis Cardinalis?

Postrema sunt duo in hoc honorum vsu magnopere obseruanda Cardinali. Alterum est illa obligatio, quæ consequitur ad bene sancteque viuendum, vt quantum quisque inter alios eminet gradu, tantum etiam emineat vita. De quo ipso optime D. Gregorius in quadam Epistola: Iam nunc, *Lib. 4. epist. 51.* inquit, studio maiori res indiget, vt cum honor crescit, etiam solicitudo proficiat, & vigilantia excrescat. Vitæ quoque merita subiectis in exemplũ veniant, & nunquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucem cœlestis patriæ acquirat. Alterum deinde est, vt quicunque sit honor, quæcunque celebritas, & amplitudo, eam semper dirigat ad illum ipsum finem, cuius gratia hæc instituta sunt. Cur autem instituta, nisi vt hæc hominum reuerentia Cardinalem adiuuaret ad suum munus inter homines recte exequendum, in quo exequendo aliqua, nec sane mediocri, opus erat auctoritate? Vt enim omnes artes sua habent instrumenta, pictor penicillum, sculptor

scal

ſcalpellum, alij alia, ſic etiam Cardinalis, qui ad Eccleſiam ædificandam non modo, vt Faber, ſed etiam vt Architectus adhibetur in tam præclaro opere, propria quædam habet inſtrumenta atque inter alia hunc etiam honorem, de quo loquimur, hunc ſplendorem, hanc veluti maieſtatem. Quare is quidem peruerſe facit, ſi id ad ſuam gloriam, ſi ad familiæ ſuæ incrementum referat, non ad Eccleſiæ commoda. Audiat igitur B. Gregorium, quid in hanc ſententiam, & quam expreſſe diſſerat. Habet, inquit, ſpiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis, habet & interioris magnitudinem oneris; Honor ipſe dignitatis per ſe magnum eſt onus mentis, quia contemni debet: & placer. Contemni quippe debet, ne mente per ſuperbiam eleuet, & ſuſcipi debet, vt cœleſtia quæ doctor loquitur, ſubiecti venerentur. Grauius ergo onus de honore naſcitur, quia electus Paſtor magna animi virtute ferre poteſt, vt deſpiciat illud in ſe, quod pro Deo recipit in ſe, vt videlicet talis pro Deo ſit & ſemetipsũ abneget, & non abneget,

4. in lib. Re. c. vlt.

vt

vt ſit quod eſt pro Deo, & quod eſt pro ſemetipſo non ſit. En igitur quomodo, vt à reliquis Eccleſiæ Prælatis, ſic à Cardinali temperanda ſit res vt honor quidem admittatur, atque etiã, ſi opus ſit exigatur, ſed ita vt non ad ſuam magnitudinem, verum ad alienam vtilitatem referatur. Hoc enim exiſtimare debet, quod etiam S. Bernardus Eugenio præcipit, non domi- *Lib.2. conſid.*
nium ſibi datum, ſed impoſitum eſſe miniſterium Pauli exemplo, qui de ſe ait: *Miniſtri Chriſti ſunt, & ego,* & ad- *2.Cor.11*
dit in quibus id conſiſtat. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum. O præclarum miniſterium, quo non id glorioſius Principatu? Ita Bernardus, & vere, *Epiſt.42.*
quoniam eodem ipſo auctore, nõ aliis præeſſe, ſed prodeſſe pulchrum eſt. immo illud ita ad hoc dirigitur, vt hoc ſubtracto nihil omnino ſit. Quare ita intelligendum eſt, Cardinalatũ, ſi non eum fructum, quem debet Eccleſiæ ferat, honoris videlicet vocabulum habiturum, non veræ dignitatis inſignia, & in hoc ampliſſimo nomine, non modo dignitatem nullã fore, ſed

fore

fore ſummam deformitatem. Concludamus igitur Cardinalem, niſi in magnos ſcopulos impingere velit, ita loci huius honorem, & alios multos, qui eum conſequuntur honores accipere oportere, iiſque vti, vt de rebus omnibus huius mundi dictum eſt ab Apoſtolo, tanquam non vtatur, id eſt, vt re volatica, & fugaci, inſuper etiam plena moleſtiarum, & ſeruitutis, & quod multo maximum, vt re periculoſa, multiſque lapſibus expoſita, in qua humilitatem ſuam ſemper teneat, fragilitatiſque ſemper meminerit ſuæ, nec eum adhibeat ad ſuam, ſuorumue gloriam propagandam, ſed vt inſtrumentum diuini obſequij, & publicæ vtilitatis. denique quod modo dicebamus, vt ſtimulum ad vitam meliorem, & ſanctiorem, poſtremo ſi vno verbo dicendum eſt, id ſentiat, id faciat, quod de Nepotiano ſcribit Sanctus Hieronymus, qui Clericatum, non honorem intelligebat eſſe, ſed onus.

1. Cor. 7.

Epiſt. 3.

Qualis

Qualis amor Dei in Cardinali esse debeat.

CAPVT XVIII.

HActenus de his loquuti sumus, quæ Cardinalem ita instruunt, vt in seipso bene sit compositus. Nunc ea quoque dicenda, quæ ei necessaria sunt erga Deum, qui quidem respectus primus, & præcipuus est, eoque omnia referri debent. Neque enim dubitari potest, quin cum omnes Christianos Deo quam coniunctissimos esse oporteat, quandoquidem Paulus Apostolus omnes hortatur, vt conuersatio eorum in cœlis sit; tum vero præcipua Ecclesiæ membra, cuiusmodi sunt Cardinales. Cum enim vt supra diximus, eorum status, vitæ perfectione nitatur, hæc quidem perfectio, aut in nulla alia re consistit, aut maxime in hac coniunctione cum Deo. Atque hæc sane coniunctio, vt Moses dicebat, non supra hominem est, neque procul posita, neque in cœlo, aut trans mare

Philip. 3.

Deut. 30.

mare ſita, ſed iuxta eſt, valde in ore tuo, & in corde tuo, vt ſi velis exequi poſſis, cum Dei gratia, & ope, quæ ſcilicet nunquam deeſt. Coniungitur enim anima cum Deo, præcipue, & maxime amando. Quid autem facilius, atque etiam iucundius homini, quam amare? Quare hoc in primis requiritur in Cardinali, amor in Deum, & quidem magnus, & feruens, & incenſus. Sic enim
p.3.tit. 22.c.1. B. Antoninus illud interpretatur, quod purpuram geſtent, in ſignum, inquit, ardentis charitatis, ita vt parati ſint ſanguinem fundere, qui eſt ſummus amoris gradus, quoniam maiorem charitatem nemo habet. Ex quo intelligi poteſt, ſi tantus eſſe debet hic amoris gradus in Cardinali, vt etiã vitæ amorem vincat, quanto deinde magis auri, & pecuniæ, vel, quod etiam difficilius eſſe ſolet, honoris, atque exiſtimationis. Quod cum ita ſit, vt effectu præcipue metiri, atque æſtimare oporteat amorem, tamen affectus etiam addendus eſt, quoniam ſi amor magnus ſit, vt certe in Cardinali magnus eſſe debet, vix fieri poteſt, quin eadem flamma, quæ ſuperiorem partem animi

mi calefacit, ipſam afficiat voluntatem, ſic prorſus vt etiam in appetitu ſuauis, hic amoris diuini ſenſus oriatur. Nam vt omittam tam multas cauſas, quæ concurrunt, ad Deum amandum, vt etiam ſi totus homo, omnibus ſuis viribus adnitatur, ne minima quidem ex parte ſatisfacere poſſit. Eſt etiam illa ratio, quia cum Cardinalis non ſpiritualia tantum, ſed temporalia quoque à Deo acceperit beneficia, vt dignitatem, opes, honores, commoditates, quæ affectum etiam ſenſúmque delectant, cur non etiam ſenſus ipſe, & affectus excitari debent ad amandum Deum, vt hæc quoque pars, quam poteſt ei vicem referre geſtiat? Quare hoc quidem ita debes efficere, vt niſi id in te ſentias, ſine dubio teipſum, vt tepidum, & parum Deo gratũ condemnare debeas. Sed vt diximus illud præcipuum, ac primum, quod etiam ait Ioannes Apoſtolus vt *diligamus, non verbo, & lingua, ſed opere, & veritate*, id eſt factis ipſis, nimirũ vt præponamus ſemper Dei honorem, ac voluntatem noſtris omnibus cupiditatibus, & cuicunque & quantæcunque 1. *Ioan.* 3.

vtilita

vtilitati,idque impigre, conſtanter, & alacriter , vt nihil ſit tam carum , vel tam pretioſum , quod ſi Dei cauſa ita poſtulet, non ſtatim contemnatur, & abiiciatur. Sæpe enim incidunt tempora,cum ex vna parte magni alicuius commodi , vel magni honoris ſpes proponatur,aut metus faciendi iacturam,ſiue honoris,ſiue fortunarum ; ex altera vero parte proponatur, ipſius Dei obſequium,cui illa repugnare videantur. Quæ cum in contentionem veniunt,Dei reſpectus rebus omnibus huius vitæ præferendus eſt, idque veri eſt amoris, nec aliter amor dici debet.

2. *Reg.*6. Cum Dauid Rex arcam Dei deduceret , ad reliquam ſolemnem ceremoniam,hoc inſuper addidit , vt ipſemet totis viribus ſaltaret ſeminudus. quin etiam cum de hoc à Michol vxore deriſus eſſet, quod ſe quaſi vnus è ſcurris in populi conſpectu nudaſſet,quid ille reſpondit ? Ante Dominum , inquit, qui elegit me potius , quam patrem tuum , & quam omnem domum eius , & præcepit mihi , vt eſſem dux ſuper omnem populum Domini in Iſrael,& Iudam,& vilior fiam pluſquam

factus

factus ſum, & ero humilis in oculis meis. Idem igitur mihi videtur debere Cardinalis quiſque & cogitare ſedulo, & profiteri. Nam cum præter alia beneficia communia cum aliis, multa etiam propria acceperint, & præſertim ipſam hanc dignitaté, quam plerique tanti æſtimant, cur non ipſi quoque cum opus eſt, & cum ita exigit Dei cauſa, & rem, & honorem ipſum (in quo vt ante dixi, maior ſolet eſſe difficultas) in eius gratiam exponant, atque ipſi quoque ludant, & viliores fiant? Alius etiam eſt effectus huius amoris, cum contingit aliquid pati pro Deo, non modo non recuſare, ſed vltro ſubire, etiam cum gaudio. Magnum vero huius exemplum Cardinalibus reliquit B. Laurentius, cuius, cum vt alibi oſtendimus, teneant dignitatem, merito etiam feruorem in amando, & in patiendo imitari deberent. De quo, & de Sixto Pontif. recte ait S. Ambroſius: Talis erat contentio digna ſane, de qua certarent Sacerdos, & miniſter, quis prior pateretur pro Chriſti nomine. Itaque addit nullum alium ei fuiſſe

l. off. c. 41

ſtimulum, quam deuotionis amorem. Poſtremo ille quoque maximus eſt amoris effectus, & indicium, zelus pro Dei honore; qui zelus ita proprius, & conueniens eſt Cardinali, propter locũ quem in Dei Eccleſia tenet, vt nihil magis. Hæc eſt enim, vt eſt apud B. Bernardum, cella illa Vinaria, quæ in canticis deſcribitur, quoniã vt ille ait, prorſus decet hoc vino æſtuare eum, qui aliis præſidet, quẽadmodum æſtuabat Doctor gentium, qui dicebat, *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non vror.* Talẽ ergo oportet eſſe hunc zelum in Cardinalibus, vt toto animo diuini honoris propagationẽ cupiant, eiuſque incrementis gaudeant, doleant autẽ, & crucientur eius detrimentis, & cũ vel religionis curſum impediri, vel Eccleſiæ dignitatẽ, aut vtilitatem, imminui vident, ita moueantur tanquam propriis vel plus etiam quam propriis incommodis, & ſe quantum poſſunt opponant pro domo Dei, reſiſtant, ſiue priuatis, ſiue Principibus, nullique rei parcant, quin etiam cupiant, ſi fieri poſſit ſua ipſorum iactura publicam

Ser. 23. cant.

2. Corin. 11.

redi

redimere iacturam. Huius zeli exem- *Ioan.2.*
plum Dominus ipse Ecclesiæ Prælatis dedit,qui cum suas iniurias , conuicia, probra omnia tam leniter toleraret, idem tamen iniuria Dei commotus facto ex funiculis flagello negociatores omnes exturbauit è templo. quo viso scribit Ioannes, recordatos esse discipulos eius,scriptum esse , *zelus domus* *Ps.68.*
tuæ comedit me. Eiusmodi enim esse debet hic zelus in Ecclesiastico Principe,vt eum comedat, id est, angat ,cruciet , extimulet , atque etiam interdum partem aliquam auferat nocturnæ quietis. Non enim pati debet Cardinalis , vt quisquam res suas , quam ipse res Dei, tanto maiores, & meliores , ardentius amare , & curare videatur.

De rectitudine intentionis quam habere debet Cardinalis.

CAPVT XIX.

EST Domini vox in Euangelio: *Quis* *Mat.24.*
putas , est fidelis seruus , & prudens

Digitized by Google

quem constituit Dominus super familiam suam? Quibus verbis duo indicantur, quæ in Ecclesiastico ministro tanto præsertim, quantus est Cardinalis, requiruntur. primum, vt fidelis sit, deinde vt prudés, sed de prudentia satis à nobis alio loco dictum est, restat vt de fide dicamus. Fides igitur, quæ etiam primo loco exigitur, ita necessaria est in seruo, vt si hæc absit, ne seruus quidem iure vocari possit, quoniam nisi cum fide rem administret, non domino, sed sibi ipsi seruiat. Igitur Cardinalis (Cardinalem cum dico, te vnum Illustrissime Frater, intelligo, qui hoc mihi oneris imposuisti, vt hac de re tibi præciperem; neque enim hoc mihi sumo, vt cæteris etiam Cardinalibus præcepta tradam) Cardinalis igitur, vt seruus, & fidelis seruus vocari possit, meo quidem iudicio duo præstare debet, alterum vt in omnibus quæ agit, & quæ tractat, finem sibi constituat Deum, alterum, vt in omnibus non suam, sed Dei voluntatem exequi studeat. Ac prius quidem illud tum in Cardinalatu ipso suscipiendo locum habet. tum deinde in gerendo,

gerendo,& in eius actionibus singulis. Nã in ipso quoque statu accipiendo, nihil aliud spectari debet nisi Dei obsequiũ. Quod si quis aliquid aliud spectet, vt suam gloriã, vt familiæ incrementum, aut quidpiã eiusmodi; tanta est peruersitas, vt maior esse nõ possit. Nam si in rebus omnibus etiã humanis, & mere secularibus, tamen Deus ipse finis esse debet, quanto magis in ministeriis Ecclesiæ, quæ cũ Deo consecrata sint, prophanantur, & deprauantur, cum alio quã ad Deũ conuertuntur? Itaque iure S. Bernardus, peccatum hoc, vt magnum & tamen valde frequens reprehendit, Omnes, inquit, Christiani, & omnes fere quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpẽ quæstũ, & tenebrarũ negociũ transiere, nec in iis animarũ salus, sed luxus quæritur diuitiarũ. Propter hoc tondẽtur, propter hoc frequẽtant Ecclesiam, missas celebrant, psalmos decantant. Pro Episcopatibus, & Abbatiis aliisque dignitatibus impudenter hodie decertatur, vt Ecclesiarũ redditus in superfluitatis, & vanitatis vsus

Se. 6. qui habitat.

dissipentur. Hoc igitur primum esse debet, vt in statu tam sacro accipiendo, nihil propositum sit nisi sacrum atque diuinum. Proximum deinde illud, vt eodem etiam animo, eodemque fine sustineatur deinceps & geratur, nimirum, vt seruiatur Deo. Idque non solũ generali quodam proposito, quod vitam totam generaliter complectatur, sed huc etiã dirigantur, quoad fieri potest, actiones singulæ; saltem nusquam alio detorqueatur voluntas : nullus alius terrenus finis ascisca tur. Hoc enim inter alia S. Bernardus à Cardinalibus exigit, vt præter Dominum timeant nihil, vt præter Dominũ timeãt nihil, nihil sperent nisi à Deo. Et S. Antoninus aperte docet, peccare Cardinalem, cum Papæ consilium suggerit in Ecclesiæ negotiis, in quo consilio non Ecclesiæ, populiq; Christiani vtilitatẽ spectet, sed suã, vel alicuius Principis amici aut ciuitatis erga quam sit affectus. Idem confirmat etiam Hieronymus Manfredus Iurisconsult. in eo libro quem scripsit de Cardinalibus. Turpissime, inquit, delinquunt cum animũ, aut studiũ suum ad aliud applicant,

4. dẽ consid. p. 3. tit. 21. c. 2.

Tract. de Car. c. 7.

cant,quã ad Summi Dei honorem, & Chriſtianę fidei propagationẽ felicitatem & pacẽ totius Eccleſiæ, & neceſſario his vinculis alligãtur propter eorum dignitatẽ,nec vlli parcere debent labori,nihil ab eis iactura rerũ ęſtimãda,ſed potius diſcrimẽ ipſius vitæ ſubeundum,ſi aliter fieri nequeat, multo autẽ magis diſpendiũ propriarũ facultatũ.Hęc ille.Et vero quid turpius eſſe poteſt Cardinali, cũ tam bono Domino ſeruiat, & tã liberali, ac munifico, cui iure optimo omnis ſeruitus debeatur,quã aliquid deinde aliud quærere præter hoc tantum bonum? Ipſi certe Cardinales, ſi talem famulum haberent,cui victum, & veſtitum, mercedem etiam copioſam præbeant; ille autem alteri cuipiam inſeruiat,ne vna quidem hora eum domi ſuæ perpeti poſſint.Igitur hæc animi rectitudo, vt breuiter dicamus, in eo conſiſtit, vt Cardinalis oblitus cõmodorum ſuorũ quicquid agit,quicquid molitur,referat ad Dei honorem, vel quod idem eſt,ad Eccleſię,vtilitatem,neque opes, aut potentiam ſuam amplificare ſtudeat, ſed id tantum curet, quomodo

diuinus cultus, & humana salus amplificetur. Itaque non ex Ecclesiæ administratione crescere ipse studebit, verum id conabitur, eoque omnia dirigetur, vt sua opera, suoque labore crescat Ecclesia. Denique eiusmodi mentem induet, quẽ bonus, & fidelis tutor in re aliena. Vt enim tutela nõ gerenda est ad vtilitatem eorũ quibus commissa est, sed illorum potius qui commissi sunt, sic omnis procuratio Reipublicæ; quanto autẽ magis Reipublicæ Christianæ? Præsertim vero, cum hoc melior sit eius conditio, quod non modo non licet ex eius damno lucrũ facere, sed si ita eius rationes postulent, iactura subeunda est, & rei & gloriæ, & vitæ; Hoc enim est seruire Deo, se totũ, & sua omnia ad eius obsequiũ conuertere, nõ Dei obsequiũ ad suas vtilitates. Quamobrem recte Samuel quasi describens, quales animos Deus in suo famulo requirat, *Seruite*, inquit, *Domino & timete eũ in veritate, & ex toto corde vestro.* Vbi S. Gregorius: Qui de bono opere temporalem mercedem expetit, Deo in veritate non seruit, quem falso proposito in sua ope

1. *Reg.* 7.

5. *in lib.* 1. *Reg. c.* 2.

operatione non diligit. Qui autem in veritate Deo ſeruire cupiunt, totum cor in diuinis obſequiis ponere iubẽtur,vt ſic quæ Dei ſunt agãt,vt in mẽte aliquid,quod contrą Deum ſit,non retineant. Ex his igitur apparet, quãta ſit peruerſitas, ſi Cardinalis qui ſe Eccleſiæ operarium,Dei famulum profiteatur, ſui magis commodi, quam Dei vel Eccleſiæ habeat rationẽ.Quid autem dicemus de damno? nã cum ſæpe eadem ipſa actione,modo ad Deũ erigatur,nullo labore addito, cœlum, & magna in cœlo præmia conſequi poſſit,ſi contra ad terram deprimatur exigui,& temporalis cõmodi ſpecie præmia illa ſempiterna,atque infinita perdũntur. De qua ſtultitia, & inſania S. Hieronymus diſſerens,ſic de Clericis loquitur.O quanta inquit,apud Deum merces, ſi in præſenti præmium non ſperarent.Et S.Gregorius in quadã exhortatione ad bona opera.Hoc ſtudioſius agite, ait, & hoc agentes in terra vobis retribui nil quæratis, quia ſuperna deſiderãtibus, temporalia nulla ſunt: ſed ibi deſideria figite, vbi quicquid retribuitur, finem non ſuſcipit.

Epiſt.2.

Lib.10. Epiſt.7.

Atque hęc eo maior calamitas) ſic enim appellãda eſt) in Cardinalibus, in quorum manibus, negocia vt plurimũ Eccleſiaſtica, & ad Eccleſiæ commodum pertinentia verſantur, quibus ſi legitimum, & congruentem finẽ proponãt, facile magnum ſibi in cœlo cumulum pariant præmiorum. Quod ſi terrenum aliquid ſibi proponant, omnis labor irritus ſit, & inanis, totos dies laborant, æſtuant, fatigantur audiendo lectitando libellos ſupplices, conueniendo ad ſuas conſultationes, alíſque occupationibus, quas ſtatus vel tempus, & occaſio affert, & hæc omnia ſine æterno prẽmio, vt verius de his dici
Exod. 18. poſſit, quam de Moſe dixit Iethro, ſtulto eos labore conſumi. Nam ſi vno ãno eorum agri, vel grandine, vel pluuiarum inundatione, aut cõtra æſtu, & ſiccitate, aliaue eiuſmodi cauſa, nullos ferrent fructus, magnam ſcilicet eam ducerent calamitatem, nec finem lamentandi facerent. Quãto autem maior hæc perpetua iactura fructuum animæ, quæ infinitis partibus melior eſt ager? præſertim cum ex eiuſmodi damno egeſtatem animæ prouenire neceſſe

neceſſe ſit ſempiternam ? Immo vero multum etiam perditur in preſenti vita. Non enim iniuſtus eſt Deus, nec reſtrictus, aut qui ſeſe largitate, & chatate vinci patiatur. Itaque nulla eſt aptior ratio ad eius eliciendam liberalitatem etiam in hac vita, quam eſſe erga ipſum liberalem, & ſe totum, ſuaſque actiones eius numini conſecrare. Quamobrem hoc ipſum S. Gregorius audet Brunechildi Francorum Reginæ polliceri. Quia inquit ipſe bonarum mentium conſueuit eſſe adiutor, qui etiam largitor eſt, confidimus quod tanto prõptius cauſas veſtras ſua pietate diſponat, quãto ipſe de ſua vos videt eſſe cauſa ſolicitos. Facite quod Dei eſt, & Deus faciet quod veſtrũ eſt. Sic S. Gregorius. & contra qui tẽporaliũ amore, Dei honorem negligunt, ita ſæpe iuſta Dei prouidentia euenit, vt ne illa quidẽ ipſa caduca bona conſequantur, quorum cauſa peccarunt. *Lib. 9. epiſt. 57.*

Extremum illud eſt, ſed momento præcipuum, quod ij Cardinales, qui humanis reſpectibus ducũtur, quique propriam aliquam vtilitatem ſpectãt, quaſi vincti, & illigati ſint, ita nihil

vnquam præclarum pro Deo, vel pro Ecclesia agere possunt. immo vero in multos etiam errores, eosque graues, & toti interdum Ecclesiæ valde perniciosos incidunt, quod quidem quotidiana ipsa experientia, vel nobis tacentibus satis demonstrat, contra vero qui se omni eiusmodi respectu exuũt, Deumque solum intuentur, liberi sunt & expediti ad præclara quæque agenda, quoniã nullis vinculis retinentur. Cuius rei etsi multa in vtramque partem suppetant exẽpla, nos breuitatis gratia vno contenti erimus. cuius quasi admonitu possit vnusquisque alia etiam quæ quotidie occurrunt. & quæ ante oculos sunt aduertere. Nam cum anno MCCCCXIV. esset in Ecclesia fœdum schisma ex tribus Pontificibus. Ioannes Dominicus Cardinalis vtique insignis, qui Gregorio XII. adhærebat, si sui commodi rationem habuisset, eum potius fouisset, ac confirmasset, ad retinendam dignitatem, quippe cũ ab eo factus esset Cardinalis, & pene solus apud eum omnia posset, & tamẽ propter publicum bonum nunquam destitit eum monere, hortari, & impellere,

lere,vt ſe ipſum Pontificatu abdicaret: quin etiam ipſemet huius rei gratia à Gregorio ad Conſtantienſe Cõcilium miſſus,nõ ſolum eius nomine publice Gregorij Pontificatum,ſed tanquã officio functus ſuum etiã Cardinalatum ab illo ſibi tributũ depoſuit, ſeque in inferiorem locum Epiſcoporum,quorum è numero erat,recepit.Quamquã id quidem minime paſſi ſunt eius Cõcilij Patres.Omnes enim vno conſenſu ad ſuum gradum cum ſummo eum honore reduxerunt.Poſſent alia etiam ſimilia commemorari,ſed nec oportet nos eſſe longiores , & hoc vnum ſatis eſſe puto,ad indicandum quam neceſſarium ſit Cãrdinali , tum ad recte agendum , tum ad recta conſilia danda,vt rectam hanc mentem cuſtodiat, quoniã vt Dominus Saluator docuit, *Matt. 6.* ſi oculus ſimplex fuerit, id eſt, mentis acies in purum , ſincerumque finẽ dirigatur,totum actionum corpus lucidum erit.Sin autẽ oculus ille nequam ſit,ipſæ etiam actiones tenebricoſæ,& deprauatæ ſint neceſſe eſt.

Altera pars huius fidelitatis quam Cardinalis Deo debet,erat illud quod diximus,

diximus, propoſitum fixum, ac certum exequendi in omnibus diuinam voluntatem. Quid enim iuſtius, quam vt creatura obediat creatori, filius patri, ſeruus domino? ſed huius virtutis duplex eſt materia. Alia enim ſunt, quæ ipſi eligimus arbitratu noſtro: alia quæ extrinſecus inferuntur, vt ſunt omnia aduerſa, & per ſe quidem amara & triſtia. Igitur in vtriſque exercenda eſt hæc, quam dixi propriæ voluntatis, vt ita dicam, reſignatio, quod difficilius fortaſſe, ſed ſimul etiam, glorioſius eſt Cardinali, quoniam multa ei contingere neceſſe eſt magna, & ardua, ad quæ vel voluntas magnopere inclinatur, vel à quibus magnopere abhorret. Quare eo magis in vtroque genere vt dixi ſtudium, & omnes animi ſui neruos debet intendere. Primum igitur nihil ipſe faciet, nihil molietur, nihil aget, quod non putet placere Deo, neque hoc in iis ſolum, quæ ſunt plane prohibita, quod iam ad peccatum pertinet, ſed in iis etiam quæ libera ſunt, vt negocia quotidiana, in quibus ipſis ſuſcipiendis, hic ei delectus adhibēdus erit, vt antequam ſuſcipiat, videat, & inqui-

inquirat, an Deo placeãt: præsertim vero cum negocium aliquod occurret dubium, & in quo aliquid mali latere possit. Hæc autẽ quam dico, inquisitio diuinæ volũtatis haud ita difficilis est. Fit enim considerando, & ratiocinãdo, perpendendo rationes in vtráque partem, orando Deũ, & implorando ab eo lumen, & opem, tum etiam cõsilium à probis hominibus, fidisque amicis petendo: Sed quod fortasse præ omnibus valet, est ipsum desiderium gratificãdi Deo. Nam qui sic animatus est, vt nihil aliud expetat, nisi Dei voluntatem explere, nunquam poterit eum Dominus deserere, quin ei lucem suam abunde largeque impertiat. Et in summa (redeundum est enim ad illam formulã domesticam) ita strenue, ita diligenter, ita etiam anxie decet Cardinalem diuinæ voluntati totum se tradere, vt suam ipsius voluntatem seruis suis cordi esse cupit, & gaudet cum ita fit, cõtra vero offenditur, cũ non fit. Et tamen quãta distantia serui ad conseruum, aut serui ad dominum, & tantum dominum? Alterum erat huius virtutis officium, in perpetiendis aduersis, quæ Dei

iussu

iussu eueniunt, ob hoc ipsum, vt Dei voluntati etiam in his pareatur. Itaque sic animo constitutum esse oportet Cardinalem, vt siue damnum aliquod in re familiari patiatur, siue propinquorum quempiam subita, & inopinata morte amittat, siue Principum gratiam perdat, siue negocium aliquod graue, & magnum aduersus sentẽtiam succedat, siue quod grauius, & acerbius videri solet, honoris atque existimationis detrimentum accipiat: denique quæcunque dura, & molesta eueniant, nõ ea putet casu, aut fortuito incidisse, sed certo Dei consilio, ac prouidentia. Itaque hoc etiam ipso ei placeant, quia Deo placuere. Neque hoc tantũ in rebus inanimis, quarũ iniuria facilius tolerati solet, sed idem etiam in iniuria, & scelere hominũ, quorum malo semper Deus vtitur ad aliquod bonum. Quis enim vnquam indignius
1. *Reg.* 16. tractatus est, quam Dauid Rex à Semei populari suo, à quo Rex cum tãta premeretur miseria, quæ etiam hostem ad misericordiam mouere posset, maledictis vltro, & contumeliis, insuper etiam lapidibus appetitus, quid tamen

tamen dixit, & quomodo ſeipſum, & ſuos cohibuit? Dominus,inquit,præcepit ei,vt maledicat Dauid. Quod idē dicere debent in ſimili cauſa omnes boni, & fideles Dei famuli. Ideo enim D.Cyprianus à Saluatore nos ait edoctos, vt ita precaremur: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra, non vt Deus faciat, quod vult, ſed vt nos facere poſſimus,quod Deus vult.Denique & Deus inquit, infirmitatem hominis quem portabat oſtendens ait, *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte*; & exemplum diſcipulis ſuis tribuens,vt non voluntatem ſuam faciāt, ſed Dei, addidit dicens, *Verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu*; & alio loco dicit: *Non deſcendi de cœlo, vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.* Quod ſi Filius obediuit, vt faceret Patris voluntatem, quanto magis ſeruus obedire debet, vt faciat voluntatem Dei? Hæc eſt igitur forma boni, rectique Cardinalis, ad quam ſe componere, ſemperque omni ſtudio exercere debet.

De orat. Dom.

Matt.26

Ioan.6.

De ſtudio orationis quod in Cardinali eſſe debet.

CAPVT XX.

INter omnes Chriſtianæ Reipublicæ plagas nullam fortaſſe magis lugendam exiſtimo, quam illam communem fere hominum opinionem, de oratione, ac meditatione rerum cœleſtium, plerique enim eam quodammodo propriam eſſe ſolitariorum, ſæcularibus autem hominibus tum minime neceſſariam, tum etiam nimis difficilem, & laborioſam putant. Eſt autem hic error ex ignorantia natus, atque ex caligine hominum animis effuſa, vt de ſalute ſua nunquam cogitent, nunquam damna animæ reputent, aut labes, maculaſque ſuas inſpiciant. Quod quidem quam perniciolum, ac peſtiferum ſit omnibus Chriſtianis, egregie deſcribit quodam loco

De orat. Dom. ſer. 1. B. Gregorius Niſſenus his verbis: Hoc maxime dolendum eſt, quod homines ſæculares omnibus aliis rebus potius ſtudeant,

ſtudeant,quam orationi: quoniam & inſtitor prima luce mercibus exponẽdis inuigilet,emptor itẽ, vt alios præueniat, ſic etiam artifices & operarij, & literarum ſtudioſi,ſic litigatores, & reliqui denique omnes. Huius autem rei eam ait eſſe cauſam,quia dum quiſque totus in id incumbit quod exercet,putat ſe tempus illud perdere,quo circa Deum occupatur, & ideo omiſſa oratione, totam ſpem ponunt in ſua diligentia,& induſtria, & in manibus ſuis,obliti,inquit, eius, qui manus dedit. Addit autem quæ mala ex hoc ſequantur.Idcirco abundat,inquit,in vita peçcatũ, nouiſque incremẽtis ſemper augeſcit,quoniã obliuio Dei tenet omnes, & homines non coniungunt actiones ſuas ſerias cũ oratione.Sed vt reliquos omittamus,de quibus, nõ eſt nobis in præſẽti inſtitutus ſermo,Cardinali quidẽ nulla eſſe poteſt dubitatio, quin inter alia præcipua, ita vtile, ac ſalutiferum ſit hoc ſtudiũ,vt ſine eo vix officio ſuo ſatisfacere poſſit.Quod certe ex triplici capite euidenter appareret. Primum quia vt corpus hoc vitam habet naturalem ex coniunctione

animæ,

animæ,ſic anima vitam habet diuinam ex coniunctione cum Deo:atque hæc quidem multo nobilior, quippe, quæ participatio ſit diuinæ vitæ. Quare vt corporis vita ſuum habet alimentum ex cibo, & potione, quo alimento ſi careat, certa mors eſt, ſic vita animæ ſuos item habet cibos, maxime autem orationem, ex qua mens eos omnes percipit fructus, quos corpus ex ſuo pabulo.Sic enim reficitur,& inſtauratur,deinde delectatur,poſtremo etiam roboratur,& confirmatur, ad omnem motum, & munus, & ad exequendas actiones.contra vero hoc cibo ſubtracto languida,& iners,& imbecilla efficitur, vt leui quouis incurſu, vel occurſu in lapſum, & in mortem ruat. Alterum caput eſt ex magnitudine, & grauitate negocij,quod Cardinalis gerit, atque ex difficultate tanti magiſtratus,ad quem quotidie maximæ, & periculoſiſſimæ cauſæ deferũtur.Quæ quidem tam immenſa Prouincia ægre admodum ſuſtineri poteſt,vt oporter, niſi hoc præſidium orationis acceſſerit,quo lumen menti, ardor voluntati præbeatur.Nam vt in eadem ſimilitu-

dine

dine perſiſtamus, quemadmodum corporis cibus omnibus quidem neceſſarius eſt, ſed vberior, & copioſior iis, qui maiores labores, grauioreſque functiones obeunt, vt ruſticis, & operariis, ſic etiam hic animæ paſtus, etiamſi ab omnibus requiratur, maxime tamen ab iis, qui tam grauia onera humeris ſuſtulerunt, vt ad ea recte perferenda, magnis omnino indigeant viribus. Tertia cauſa eſt ex obligatione perfectionis, quæ vt ſupra à nobis demonſtratum eſt, ex ipſo Cardinalis officio naſcitur. Hæc ergo perfectio cum omnes virtutes complectatur, omnibus expletas partibus, quoniam aliter non poſſit eſſe perfectio, hæ quidem virtutes, niſi accedat orationis lumen, nimirum in tenebris, non modo haberi, ſed ne cognoſci quidem poterunt. Eſt enim tanta earum difficultas, præſertim in hac corruptione, in hac imbecillitate naturæ, in hac etiam mentis obſcuritate, vt qui hoc adiumento careat, ego quidem non videam, quomodo arduam hanc vitam, adeoque lubricam ingredi poſſit. multo vero minus ad eam quam diximus perfectionem

nem peruenire virtutis. Borromæus quidem in illa Epiſtola, cuius ſupra mentionem fecimus, ad Andream Battoreum aperte requirit in Cardinali, non mediocre modo orationis ſtudiũ, ſed familiaritatem cum Deo, quæ inquit, quotidiano, & attento (hæc enim duo neceſſaria ſunt, vt & quotidie fiat, & attente) orationis, ac diuinarum rerum meditationis ſtudio nutritur, & fouetur. Nec ſolum hoc aliis præcipiebat, ſed multo magis faciebat ipſe. Vix enim abibat dies, etſi in ſummis illis occupationibus, quin ternas, & quaternas horas ſæpe etiam plures, orando conſumeret: quoties etiam noctes integras? Quinimmo ita tradidere, qui eum familiariter norunt, totam ferme eius vitam, excepto ſomno, qui illi breuiſſimus erat, perpetuam fuiſſe orationem, quoniam inter agendum, inter eundum, inter etiam veſcendum, ſemper aliquid mente agitabat. Ex quo apparet non eorum tantummodo error, qui toti in terram demerſi, ne de nomine quidem mentalem orationem norunt (de his enim nihil loquendum arbitror) ſed aliorum quoque cuiuſ-

modi

modi non deſunt inter Cardinales, qui vitam inſtituunt ex Dei lege ; dedũt ſe bonis operibus,& labores multos pro Eccleſiæ vtilitate ſuſtinent,ſed tamen orandi vſum non habent, vel quia eius difficultate, quam ſibi fingunt, deterrentur, vel quod eius neceſſitatem minus intelligunt,vel etiam quia occupationibus ipſis obruti, nec tempus,nec vires habent, ad reſpirandum in Deo. Itaque in hos optime cadit illa Sancti Bernardi ſententia, vel potius obiurgatio ad Eugenium, qui cum Pontifex eſſet, & totius Eccleſiæ iuſta,ac neceſſaria adminiſtratione impeditus,eum tamen ſeuere,& prolixe Bernardus accuſat, quod non etiam ſuum tempus meditationi tribuat;Itaque cùm hæc fuiſſet cauſa,cur ad eum quinque illos libros de conſideratione ſcripſiſſet, multa quidem alia, & diſerte, & ſapienter de hoc argumento diſſerit, ſed illud præcipue ad rem noſtram, ſi quod viuis, & ſapis totum das actioni, conſiderationi nihil ; laudo te, in hoc non laudo. Puto quod & nemo, qui à Salomone audierit, Qui minoratur actu, perci *Lib.* 1.

percipiet ſapientiam. Illud etiam optimum. Et quid me vis facere ? inquis. Vt tibi ab his occupationibus parcas. Impoſſibile fortaſſe reſpondebis, facilius cathedræ vale dicere poſſe. Recte hoc ſi rumpere, & non magis interrumpere iſta hortarer. Hęc igitur ſumma eſt, vt ait S. Bernardus, nõ quidem omnino deſerendas eſſe Cardinali eas cauſas, & occupationes, quas Dei obſequium, quas ſtatus, quas proximorum ſalus, vel quas denique Pontificis imperium imponit, ſed tamen ita temperandas, vt ex iis quanquam perpetuis, & magnis, ſpatium tamen eripiatur, quo animus à terrenis, & fluentibus rebus auulſus ad ſeipſum reuocetur, ſecumque eſſe cogatur, & cœleſtia tractare, quæ ſunt, & iucunditate tam ſuauia, & natura tam præſtantia. Etenim ſi nullus vnquam Cardinalis vt multis, & grauibus negociis prematur, tamen ita ſe diſtineri ſinit, vt non iuſtum tempus, quieti, cibo, ſomno, addo etiam tempeſtiuæ relaxationi tribuat, & merito: quoniam niſi ita faceret, non ſuppeterent vires, ad illa ipſa negocia peragenda. Igitur ſi hoc fit,

fit, & neceſſario fit in corporis vita,ipſaque neceſſitas ad id extimulat; non multo magis fiet in cura animæ, vt nulla ſit tanta, tamque aſſidua occupatio, in qua non aliquid laxamenti capiatur, ad mentis, ſpirituſque exercitationes?

Quoniam igitur tam euidenter conſtat tantam eſſe Cardinali neceſſitatem mentalis orationis,non ſolum, vt aliis, ſed plus etiam, quam aliis, & quidem multo, nunc etiam breuiter indicandum quis ſit eius vſus. Triplex enim eſt primus meditationis longioris, & prolixioris, cum certa myſteria, vt Dei beneficia, vt capita quædam ex Chriſti vita, vt cœleſtis gloriæ magnitudo, vel æterni ſupplicij acerbitas, & alia multa eiuſmodi menti propoſita cogitantur, expenduntur, penetrantur, atque ex ea cognitione ſui etiam in voluntate affectus, modo timoris, modo amoris, vel doloris, aut alij ſimiles pro rei qualitate quaſi conſequuntur. Hanc igitur orationem omnino exercere debet probus Cardinalis,qui non temere in hoc tam præclaro magiſtratu verſari velit,

quique non de præsenti tantum vita cogitet, sed futuram quoque prospiciat. Hic ergo qui talis esse conatur, vt officio suo satisfaciat, quantumuis exterioribus curis impeditus sit, quas aliis hominibus impendat, habeat etiá interiorem hanc curam, quam impendat sibi ipsi, ne aliis bonus, sibi ne-
Eccl. 14. quam sit, vt sapiens monet. Quare hoc apud se statuere debet Cardinalis, vt quotidie tempus aliquod certum, & fixum tribuat huic contemplationi matutinum præsertim, id enim aptissimum, cum mens liberior, & nondum obstrepentibus obsessa negociis. Id-
Psal. 87. que adeo se facere profitebatur Dauid, ipse quoque Regni curis occupa-
Psal. 62. tissimus. *Mane*, inquit, *astabo tibi, & videbo*, & alibi. *In matutinis meditabor in te*. Et si ille quidem sæpius etiã in die, nec se impediri sinebat curis illis, ait
Psal. 54. enim, *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo laudem tuam, & alio*
Psal. 118. loco: *Septies in die laudem dixi tibi*. Quę omnia eo magis extimulare debent Ecclesiasticũ Principem in Euangelij luce versantem, cum ille laicus Princeps in veteris legis, vmbra, tam strenuus

nuus in hoc opere, ac tam diligẽs esset. Cum autem Cardinalis de certo tempore, & hora apud se decreuerit, id deinde ita acriter tenere debebit, vt quicquid impedimenti inciderit, nihil curet, & huic negocio posthabeat. Debet enim hoc animo prouidere, communem illum inimicum omnia tentaturum, omnes insidias moliturum, vt modo hac, modo illa causa obiecta, tã salubre propositum impediat, quasi non magni referat, vno aut altero die intermittere, cum facile possit deinde reuocari. Sed nimirum vt aqua cum in obiecto aggere minimã sibi viam fecit, eam deinde continuis incrementis auget, donec magna fenestra patefacta non possit amplius restaurari: sic natura nostra, si ei aliquid licentiæ concedatur, ita paulatim prouehitur, vt ægre interdum etiam nullo modo reuocari queat. Quare hoc cauebit Cardinalis, qui suam salutem curat, vt debet, idque fixum tenebit quod ante diximus, quemadmodum nullas ob occupationes, neq; prandium, neq; cœna, neque somnus relinquitur, ita nec cibum animæ spiritualem relinqui oportere.

Hic est igitur primus orationis vsus in meditando. Alter est breuiorum precationum, quas in ipsis actionibus, siue domi, siue foris, siue solus, siue cum alio agat, adhibere potest, & certe debet Cardinalis. Est autem huius rei multiplex vtilitas, Nam cum tentationes irruunt, adiuuat ad eas vincendas, subleuat mentem, nec sinit adhærescere terræ, & negociis, quæ tractantur: Est etiam condimentum quoddam actionum, vt gratiores sint Deo, parit familiaritatem quandam cum illa maiestate, denique vt alia omittamus, animum ad futuram meditationem parat. Vt enim lignum si aridum fuerit, facilius & citius ignem concipit, ita anima his iaculatoriis (sic enim vocantur) orationibus calorem aliquem retinet, vt deinde celerius in meditatione diuinus exardescat ignis. Neque vero difficile est, has, de quibus loquimur, subitas, atque extemporaneas preces adhibere. Possunt enim certis diebus certæ materiæ destinari, potest etiam pro re nata captari materia ex rebus ipsis, quæ videntur, vel quæ audiũtur, modo gratiis agendis,

Digitized by Google

agendis, modo diuina bonitate agnoſcenda, atque laudanda, modo aliquid petendo, interdum etiam cum aliqua moleſta occurrunt, humiliter ferendo, & voluntatem Dei in iis amplectendo, aliiſque eiuſmodi affectibus, quos res ipſæ ſubinde bene affectis mentibus ſuggerunt. Sed nemo melior magiſter, quam vſus. Qui enim paulum aſſueuerit, tam facile Dei, diuinarumque rerum memoriam, ac conſuetudinem aſſequetur, vt amicorum, ac fratrum, aut negociorum domeſticorum, quæ quiſque etiam ſi velit, obliuiſci non poteſt.

Tertius eſt orationis vſus in communicandis cum Deo negociis, & rebus quæ agendæ ſunt. Quod certe ita neceſſarium eſt, ei præſertim qui in arduis, magniſque negociis aſſidue verſatur, vt hoc detracto in multis eum labi neceſſe ſit. Itaque inter alias qualitates, quas S. Bernardus in Cardinalibus requirit, hanc etiam ponit. Qui, inquit, orandi ſtudium, & vſum habeant, ac de omni re, orationi plus fidant, quam ſuæ induſtriæ, vel labori. Atque hoc quidem non ſolum ad *Lib. 4 de conſid.*

pietatem confert, ſed etiam ad vtilitatem. Nam ſi ad negocia bene gerenda iuuat lumen boni alicuius, & periti Conſiliarij, idque magno eſtimari, magno etiam interdum emi ſolet, quis melior aut ſapientior Conſiliarius quã Deus ipſe? Quis auté non videt, nullam eſſe poſſe tantam vllius hominis prudentiam, quæ non ſæpe aberret, niſi Dei ductu gubernetur? Itaque ob
Ioſ. 9. hanc cauſam ſcriptum eſt: *Ioſue tantum virum, neque ipſum ſolum, ſed reliquos ſimul Principes Hebræos à Gabaonitis eſſe deceptos, quia os Domini non conſuluerunt.* Sic enim ait ſcriptura, *Idem autem quotidie euenire ſolet.* Quare
2. p. paſt. c. 5. hoc ipſum S. Gregorius adeo cõmendat Eccleſiaſtico Antiſtiti, eamque ad rem Moſis exemplũ cõmemorat. Qui crebro, inquit, tabernaculum intrat, & exit, & qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negociis vrgetur. Intus Dei arcana conſiderat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis, ſemper ad tabernaculum recurrit, coram Teſtamenti arca Dominum conſulit, exemplum procul dubio rectoribus præbens, vt

cum

cum foris ambigunt, quid disponant, semper quasi ad tabernaculum redeãt. Atque hoc eo magis meo iudicio omnibus Ecclesiæ ministris cõuenit, quia cum negocia, quæ tractant Ecclesiæ sint, id est Dei, quid iustius, & conuènientius, quam vt ex eiusdem Dei mente, & sententia gerantur? Quis enim ferat procuratorem suum, qui alio modo suas res agat, quam ipse velit, & omnia inuertat, quæ ei mandarit? Ob has igitur causas Cardinalis actioni orationem adiungere debet, tum antequam aliquid aggrediatur, tum deinde crebrò in ipso cursu actionis, vt si alicubi se aberrare viderit, reuocet, statim & corrigat; Hoc enim B. Bernardus scribit esse officium considerationis agenda præordinare, acta recogitare, nihil in correctum relinquere, sparsa colligere, secreta rimari, vera vestigare, examinare verisimilia, regere affectus, dirigere motus, corrigere excessus, componere mores, totam denique vitam honestare, & ordinare. *Lib. 1. de consid.*

Quæ Cardinali conueniant ad animi puritatem ſeruandam.

CAPVT XXI.

ANimi puritas, & cordis mundities ab omnibus quidem, ſed præcipuè, vt reliquæ virtutes à Cardinalibus ita curanda eſt, vt quæ tum per ſeſe magni ſit facienda, tum etiam quia reliqua, quæ diximus bona, hoc quaſi fundamento nituntur, quod facile ex eo apparet, quoniam ſi anima maculoſa, & contaminata fuerit, nec orationem, de qua proxime loquuti ſumus, exercere, ac ne oculos quidem ad Deum tollere, nec illam mentis rectitudinem tenere, nec denique bono vllo ſpirituali frui poterit. Quare de hoc quoque dicendum eſt aliquid, præſertim quoniam vt in via lutulenta difficile eſt tantam adhibere cautionem, vt non aliquid cœni adhæreſcat, ſic in huius vitæ via, eoque magis, quo maior eſt materia, ac licentia peccandi, vt omnium conceſſu eſt in ipſo

ipſo Cardinalatu. Sed quò difficilius, hoc præclarius. Primum igitur præſidium ad hanc munditiem conſeruandam,cuius præmium eſt viſio Dei, *Matt.* 1. eſt illa ipſa cautio,quá modo attigimus, & ſuiipſius cuſtodia,non modo à magnis,& grauibus delictis, ſed à minoribus etiam ac leuioribus , quæ vulgo contemni ſolent. Nec debẽt Cardinales aſpernari minutam hanc,curioſamque diligentiam,quaſi non deceat tantam dignitatẽ ad hæc minima deſcendere. Quicquid enim ad animæ ſalutem pertinet , non poteſt eſſe parum, ſed maximum, & grauiſſimum, exiſtimandum eſt;quippe quo contineatur æternitas. Oſtendit hoc ſatis Iſboſeth *2.Reg.* 4. exemplum, qui cum Rex eſſet, tamen adeo miſerè occiſus eſt, parua re ſpreta,quoniam videlicet ianuę cuſtodiam fœminæ mãdarat,quæ inſuper obdormiſcens in Domini mortem inſidiatores admiſit. Nequaquam vero (ait D. Gregorius) Iſboſeth iſte hac morte *1.mor. c.* ſuccumberet,ſi non ad ingreſſum do- *19.* mus mulierem, id eſt , mollem cuſtodiam ad mentis aditũ deputaſſet. Fortis namque, viriliſque ſenſus præponi

cordis foribus debet, quem nec negligentię ſomnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Quamobrem ſi remedium aliquod quærimus ad hoc malum à Cardinali propulſandum illud eſt vnicum, vt quemadmodum ſupra de oratione diximus, ſic etiam huic ipſi ſtudio certum quotidie tempus tribuat ad ſuas omnes actiones, & cogitationes diſcutiendas, ſeuereque examinandas, cuiuſmodi fuerint; quo animo, quo fine, quibus modis, & in omnibus videat, quid à recto deflexerit. Nam ſi hoc omnibus præcipi ſolet, & alioquin vix poteſt Chriſtianæ vitæ inſtitutio ſuſtineri, propter tam multos incurſus, quanto id difficilius erit Cardinali, cuius vitæ ratio inter ſcopulos, ac ſyrtes tam periculoſas perpetuo nanigat? Eſt deinde aliud etiam adiumentum ad hanc conſcientiæ integritatem tuendam, ex ſacramentis, quæ ſi crebro, & rectè percipiantur, magnam omnino vim habent ad animam abluendam, ſi quid maculæ aſperſum eſt, tum etiam in ſuo nitore, atq; innocentia conſeruandam; Et quidem Euchariſtia quotidie ferè,

rè,præſertim Sacerdoti Cardinali,peccatorum autem cõfeſſio bis ſaltem in hebdomada eſſet frequentanda. Sed in cõfeſſione illud eſſe poteſt vitij, quod quoſdam facere videmus,vt confeſſarios adhibeant homines vulgares, & exiguæ auctoritatis, ac ſcientiæ, quos ipſos nunquá vident,niſi cum ſunt expianda peccata. Quare optimũ in hoc quoque videtur Cardinalis Borromæi conſilium ad Cardinalé Battoreum,vt aliquẽ habeat ſpiritualis vitę magiſtrũ, & patrem,qui curam gerat eius informandi,& inſtituendi, cuius munus ſit eum monere, qua ratione multiplices dæmonis inſidias vitare,& pugnas ſuperare poſſit. Ita igitur faciendũ,vt aliquis eiuſmodi deligatur idoneus, tum doctrina,& prudẽtia,tum etiá virtute, eique non ſolum patefiant delicta,ſed etiã ſcrupuli,& dubitationes cõmunicentur:ab eo conſilium petatur, apud eum deponantur moleſtiæ, quæ nonnunquam incidunt: ipſius iudicio acquieſcatur: denique illi tota committatur anima, ac perinde vt ſolet duci in dubio itinere pareatur. Cæterum ad puritatem retinendam, illud etiam

magnopere confert, vt animus torpescere non sinatur, nihil agendo, sed semper aliqua re bona & vtili, atque fructuosa occupatus teneatur. Nihil enim æquè eum contaminat, atque ocium desidiosum, propter ea, quæ ex eiusmodi ocio consequi solent, cuiusmodi sunt confabulationes superuacaneæ, narrationes rerum nouarum, & quod Paulus Apostus condemnat, turpes sermones, stultiloquia, scurrilitates, quæ ad rem non pertinent, denique etiam detractiones, assentationes, & alia eiusmodi. Quamobrem rectæ Sanctus Bernardus ad Pontificem Eugenium, quod idem conuenit etiam in Cardinalem: Fugienda, inquit, ociositas mater nugarum, nouerca virtutum. Inter seculares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Euangelio talibus iam aperire illicitum, assuescere sacrilegũ est. Porro detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Sed cum ociũ dicimus, non id solum intelligimus, cum stertendo, aut nihil omnino agendo, verumetiam cum inutilia agendo tempus perditur,

Coloss. 3. Ephes. 5.

Lib. 2. consid.

æque

æquè enim hic quoque perditur. Itaque ſuperuacanea quædam officia,ambitioſæ ſalutationes, circuitiones per vrbẽ, hæc omnia & alia huius generis Cardinali frugi, & graui omnino vitanda ſunt.Docet hoc B.Ambroſius in libris de officiis, quibus perfectã Clerici formam tradens, hoc etiam inter cætera grauiter monet, ne tempus inaniter terant,& præſertim crebris viſitationibus, & colloquutionibus infructuoſis. Cur enim,inquit,illa tempora,quibus ab Eccleſia vacas lectioni non impendas?Cur non Chriſtum reuiſas, Chriſtum alloquaris, Chriſtum audias?Illum alloquimur cũ oramus, illum audimus, cum diuina legimus oracula.Quid nobis cum fabulis? Miniſterium altaribus Chriſti, non obſequium hominibus deferendum accepimus. Quo loco D. Ambroſius non præceptum modo tradit ocij fugiendi ab homine Eccleſiaſtico, ſed etiam rationem,ac viam fugiendi,oratione ſcilicet,& lectione.Et certe ſi iucunditas, & oblectatio quæritur, quis adeo hebes ſit, vt maiorem eſſe putet, Symphonia audiẽda,aut horto viſendo,aut 1. *off. c.* 20.

vrbis

vrbis vicis inutiliter ex vehiculo luſtrandis, aut ex alijs ex hoc genere oblectamentis, quam ex honeſtiſſimo, & ſuauiſſimo mentis pabulo? Sed tamen quod ad lectionem attinet, (nam de oratione antea diximus) videndum eſt quid conueniat Cardinalis grauitati. Non enim omnes libri, aut omnia ſtudia conueniunt. Primus igitur locus tribuendus eſt
Epiſt. 2. ſacris litteris, de quibus S. Hieronymus in Clerici inſtitutione, diuinas, inquit, ſcripturas ſæpius lege, immo nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Proxime deinde numeranda Sanctotum Patrum volumina, qui tum obſcuros ſacrarum literarum locos doctiſſimis commentarijs illuſtrarunt, tum etiam proprij ingenij monumentis Chriſtianam Rempublicam locupletarunt. Atque hæc quidem tam multa, & tam præclara, addo etiam tam varia ſunt, & in omni pene argumento, vt qui ijs non delectetur, ac teneatur, eum plane nihil ſapere dixerim, omnique carere iudicio etiam ipſius iucunditatis. Poſt hæc ſtudia quæ primum, & præcipuè Cardinali,

dinali, vt Ecclesiastico homini congruũt,sũt etiã ea studia,quæ in Ecclesiæ administratione vsum aliqué habere possunt, vt iuris Pontificij, Conciliorum, & Constitutionum,quæ tum ab antiquioribus tum à recentioribus Pontificibus manarunt, quas omnino nosse,& perspectas habere deeet Cardinalem. Si vero aliquod etiam peculiare munus iniunctum ei sit, vt qui in iudicandis causis, quæ ad tribunal Inquisitionis referuntur, vel in quæstionibus super Concilium Tridentinum exortisosistunt,vel alijs eiusmodi rebus aperam nauant, hi quidé suas singuli partes sic sustinere debẽt, vt omnem in eo adhibeant diligentiã; nec committere,vt laboris fuga vllum detrimentum, vel priuatio alicui, vel quod grauius est vniuersæ Ecclesiæ eueniat. Hæ igitur occupationes esse debent optimi Cardinalis, his qui intentus fuerit,facile aditum ineptis, & prauis actionibus atque etiam cogitationibus obstruet, illamque integritatem, ac puritatem animi, quam diximus, retinebit.

Quo

Quomodo Cardinalis ordinatus esse debeat erga proximos.

Caput XII.

CVm Cardinalis,& in se seipsum, & quod primum,ac præcipuũ est erga Deum,ita institutus fuerit,vt debet,sequitur vt erga reliquos homines ex eadem virtutis regula sese componat. Sed quoniã varia sunt genera hominum, variíque gradus coniunctionũ,ab iis ordiamur,qui longius distãt, vt deinde ad propiores veniamus. Hi verò sunt communes homines,quibus nihil fere aliud debet Cardinalis, quã ædificationem,benignitatem, denique etiam beneficentiam. Ex his autem tribus ædificationem semper, & omnibus debet, duo reliqua, quoties vsus incidit, & quibus in rebus incidit. In primo capite duo includuntur,alterum,ne quid extet in Cardinali, quod scandalum, aut offensionem cuipiam præbeat, alterum vt præterea extent exempla virtutum.

Nam

Nam de priori recte Sanctus Gregorius: Nullum, inquit, puto ab aliis maius præiudicium, quam à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Est autem ea ratio communis quidem omnibus Ecclesię Prælatis, sed magis iis conuenit qui inter alios, altius eminent, cuiusmodi sunt Cardinales. Hos enim locus ipse spectabiles facit, vt in eos omnium oculi per se incurrant, nullumque eorum vel dictum vel factum possit esse obscurum, quoniam scilicet in clara luce versantur. Quare horum quidem peccatum non ipsis tantũ nocet, sed etiam aliis, qui si improbent, in detractionem, ac maledicentiam incidunt, si probent, facile ipsi quoque in eadem labuntur, quanquam etiam si non probent, tamen facilè labuntur, quoniam maiorum exemplũ hãc inducit licentiam. Quamobrem pręclarum illud B. Hieronymi ad Clericum, caue committas, quod aut qui reprehendere volunt dignè laceraſſe videantur, aut qui imi

Hom.17. in Euãg.

Epiſt.3.

imitari cogantur delinquere. Sed illud magnopere tenendum Cardinali, qui offensioni, & scandalo esse nolit, ne quidquam committat, quod sua natura sit mali exempli. Nam si inani ostentatione, aut simulatione virtutis, se fallere posse sperat, aut ita vitia sua tegere, vt in lucem non prodeant, vehementer errat. Nihil enim fictum, ac simulatum potest esse diuturnum, quoniam nec semper occultari possunt, quæ in tenebris fiunt, quin aliquo casu erumpant, & ipsi domestici, atque intimi pleni rimarum sunt, præsertim in aliena culpa. Denique hoc etiam postulat Dei iustitia in eos qui peccant, vt nihil ita occultum sit, quod non deni-
Mat. 10. que reueletur. Accedunt etiam sæpissimè æmuli, qui obseruant, & expiscantur omnia, & cum interdum etiam falsa confingant, quanto magis aperient vera? Optime ergo B. Hieronymus alio loco, Frustra, inquit, irascimur
Epist. 4. obtrectatoribus nostris, si eis obtrectandi materiam ministremus. Beatus qui tam sancte, tamque grauiter disposuit vitam suam, vt de eo siniſtri aliquid ne fingi quidem possit, dum

aduer

aduerſus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo, nec fingere quiſquam auſus eſt, quod à nullo putat credendum eſſe. Hoc igitur præceptum ſi cùi tenendum eſt, maximè Cardinali, qui talem, & tantam perſonam gerit in Dei Eccleſia, vt vituperatio etiam iniuſta, non ſolum ipſi notam aſpergat, ſed etiam dignitati. Quare eo ſtudioſiùs cauere debet, ne quid committat etiam per imprudentiam, quod ſermones dare poſſit, præſertim cum homines ab inſita quadam malitia multò procliuiores ſint ad malè ſentiendum, & ſcilicet auctoritas omnium eorum, qui in Republica verſantur, non veritate ſolum, ſed etiam fama nitatur. Neque tamen ſatis eſt Cardinalibus ſcandalum omne vitare, ſed inſuper tale virtutum ſpecimen præbere eos oportet, vt quemadmodum Dominus præcepit, luceat lux eorum coram hominibus, ex quo ſequatur, vt videntes eorum bona opera, Deum glorificent. Quocirca Cyprianus: Cùm omnes omnino diſciplinam tenere oporteat, multò magis Præpoſi

Matt. 5.

Lib. 1. *Epiſt.* 11.

positos, & Diaconos, curare hoc fas est, qui exemplum, & documentum cæteris de conuersatione, & moribus suis præstent.

Alterum caput erat benignitatis,& comitatis cuiusdam, quæ multas ob causas magnopere conuenit Cardinali.Sed hæc quidem si honoratis tantum hominibus exhibeatur, nihil omnino præclarum habet; Quis enim id non faciat?nam nec aliter licet.Illud igitur laudandum, atque ex virtutis officio est, cum ea affabilitas etiam in homines multo inferiores, etiam in tenues exercetur. Quod sane sæculari quoque Principi pulchrum est, sed multo magis Cardinali. quoniam hic quicunque est Principatus Ecclesiasticus, non tam datur ad eminendū,quam ad laborandum, nec tam externo splendore,quam ministerio,atque opere definitur. Itaque eo magis decet Cardinalem recordari semper eius æqualitatis,quæ est in natura humana, & ita gradum suum tueri, vt omnem arrogantiam,& fastidium fugiat, nec inferiores aspernetur, aut despiciat, sed potius omnem humanitatem omnibus

præ

præſtet,& culmen illud dignitatis mitiget , multis condimentis manſuetudinis, & ſuauitatis. Quare ad hoc magnopere pertinet primum aditus præbere quam facillimos,idque omni hominum generi, deinde etiam retinere patientiam in audiendo , lenitatem in ſatisfaciendo.Iraſci autem intempeſtiue accedentibus , aut inepta rogantibus,& in moroſitatem quandam inutilem,& odioſam incidere,leuioris eſt animi, & qui nec alios ferre , nec ſeipſum vincere queat. Quocirca id omnino fugiendum Cardinali,contraque ſtudendum , vt nomen habeat hominis blandi, ac facilis, & cuius animus, & aures omnibus pateant , qui velint, & quamdiu velint.

Hoc autem quanti fieri,& quam ſtudioſe retineri debeat à Prælato,eoque magis,quo fuerit eminentior , indicat S.Nazianzenus,qui in laudatione magni Athanaſij,hoc præter cætera commemorat,tanquam magnum,quod eſſet vita ſublimis,animo humilis,atque ea quidem virtutis excellentia, vt nemo ad eum aſpirare poſſet , ſed ſimul ea comitate,vt eius congreſſus,& colloquium *Orat.* 31.

loquium esset omnibus expositum, essetque sermone iucundus, iucundior moribus. neque in eo vel mollities dissoluta, nec seueritas fastuosa, & importuna appareret.

Reliqua est beneficentia virtus omnino Principe digna, quoniam nihil est quo propius ad Deum accedat cuius natura est semper bene facere. Sed hæc quidem beneficentia in proximum, vt sapienter scripsit S. Ambrosius, duplici in genere est, vna quæ pecunia, & subsidio rei adiuuat, altera, quæ opere impenditur, vt dando consilio, eripiendo ex periculis, reconciliando inimicos potentiores, & aliis huiusmodi factis, quibus non inopes modo, sed ditiores etiam interdum egent. Itaque verum est, quod S. Ambrosius addit, etsi prior illa beneficentia magnopere laudatur, hanc tamen sæpe esse multo clariorem, & splendidiorem, quoniam altera ex arca, altera ex virtute depromitur, & pecuniæ largitio fontem ipsum benignitatis exhaurit, quia quo plus impenditur, & consumitur, eo minus restat ad erogandum: at qui opera, & industria, & facto

2. off. c. 15

& facto ipſo beneficos, & liberales ſe præſtant,ipſo vſu,& exercitatione virtutis, quotidie pāratiores fiunt, & promptiores.Quare hoc quoque charitatis genus exercendum eſt Cardinali, & præſertim in eos, qui maxime opis indigēt, & tamen carent adiutore,vt ſunt pauperes viduæ,& pueri orbi parentibus, & omnino omnes tenues,& egentes.Quo loco operæ pretium puto Elzearij Comitis, ac Principis præclari inſtitutum commemorare, vt ex Principe ſeculari eo magis diſcant Eccleſiaſtici, quid in hoc genere eos facere oporteat. Hic enim cum præter proprias opes in magna eſſet gratia apud Robertū Galliæ Regē: itemque apud Carolum eius filiū, qui Neapolitanū Regnū pro Patre adminiſtrabat, & apud eū omnia poſſet: nimirum lautiſſima munera, & ditiſſima ad eum quotidie deferebantur,ſed ille omnia conſtanter repudiabat,cum diceret, etiam ſi non ignoraret, poſſe ſe ſine culpa accipere, vereri tamen ne ſuo exemplo alij mouērentur, qui deinde etiam cum culpa acciperent. Itaque cum aliquando ex cubiculo

ſuo

ſuo ita auditus eſſet orare: Domine tu mihi in cœlo debes centum auri vncias, itemque duos pannos purpureos; interrogatus quid hoc ſibi vellet reſpondit, quia illo die ea munera ſibi oblata reſpuiſſet. Cum autem videret pauperum cauſas, & negocia in aula negligi, miſeratione commotus acceſſit ad Principem, magnopere petens, vt ſe pauperum aduocatum conſtitueret. Quod cum impetraſſet, ea procuratione tanquam Regno adepto lætus, grandiuſculum ſacculum fieri iuſſit, in quem ſupplices omnium libellos coniiciebat, eaque re vulgata, tantus ad eum concurſus inopum fieri cœptus eſt, vt quoties domum rediret, vix ianuam poſſet ingredi. Atque id quidem munus omni ſtudio exequebatur, audiebat eos diligenter, & ſedate, etiamſi ſuperflua, & inepta proponerent. Quin etiam cum ſemel in eo eſſet, vt lotis manibus menſæ accumberet, importune quidam accedens, quæſiuit quid de ſuo libello factum eſſet. At ille expectare eum iubens, ſurgit è menſa, ſtatimque in curiam properat, confectoque negocio reuerſus,

ſus, cum pauperi homini ſatisfeciſſet, tum demum reſedit. Hæc autem erat eius vita, hæc oblectatio. Idem igitur conuenit bono, & pio Cardinali, vt potentiam, & auctoritatem ſuam, ad eos præcipue ſubleuandos conferat, qui præſidio deſtituti ſunt & hoc nomen Aduocati pauperum magis ſibi conuenire, magiſque glorioſum eſſe exiſtimet, quam vllum alium titulum: Et merito cum etiam Deus ipſe hoc eodem inopum, & miſerorum patrocinio tantopere glorietur. Verum id malum eſt quod contra fit à pleriſque, à quibus enim mutuam gratiam, & remunerationem ſperant, iis potiſſimum inſeruiunt. Itaque ſi alter Cardinalis non dico petierit, ſed innuerit, omne ſtudium adhibetur, nulli labori parcitur. Si vero vir tenuis egeat, ne multę quidé preces ſufficiunt. Quare illa quidem non benignitas, aut charitas, exiſtimanda eſt, ſed mercatura ſuarum vtilitatum, ſi honorem ſpectet, ambitionis, ſi lucrum, auaritiæ, & qui ita fecerint in eos quoque illud Domini conuenit: *Receperunt mercedem ſuam.* Neque vero minus neceſſaria Matt. 6.

est Cardinalibus altera illa pars bene-
p. 3. tit. 21. c. 2. ficentiæ, quæ consistit in dando. Sic enim ait S. Antoninus, debere eos scire, se patres esse pauperum, & præser-
Epi. 41. tim religiosorum. B. Bernardus autem de Prælatis omnibus, quod æque, aut etiam præcipue, conuenit Cardinalibus ita nudos, atque famelicos clamantes, & queritantes inducit. Nobis frigore, & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in porticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos Dei plasmatio, & nos sanguine Christi redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit in superfluas copias vestras. Nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de vna prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis. Huc accedit, quod hæc omnia, nec negociationis studio, nec proprio manuum exercitio vobis elaborastis, sed nec iure hæreditario possi-

de

fidetis. Hæc & alia plura S. Bernardus in hanc eandem sententiam, quæ demum ita concludit, nunc quidem pauperes hæc corde tantum coram Deo loqui, cæterum, inquit, in futuro stabunt, in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, stante quippe pro eis Patre orphanorum, & iudice viduarum. Quare nihil potest esse dubitationis, quin inter reliqua ornamenta boni Cardinalis, hæc etiam liberalitas requiratur, & quidem non vt ornamentum voluntarium, sed vt necessarium. Itaque etsi ea quoque largitas referenda est ad facultates, tamen si in alterutro excedendum sit, satius est excedere in hanc partem quam & aliis vtiliorem, & Deo gratiorem scimus, cuius prouidentiæ, & curæ, si semper confidendum est, multo magis hac etiam causa adiuuante. Ex quo est illud D. Ambrosij non auctoritatem solum, sed etiam experientiam afferentis. Scio, inquit, plerosque Sacerdotes, quo plus contulerunt, plus abundasse. 2. *Offic.* c. 16.

est Cardinalibus altera illa pars bene-
p. 3. tit. 21. c. 2. ficentiæ, quæ consistit in dando. Sic enim ait S. Antoninus, debere eos scire, se patres esse pauperum, & præser-
Epi. 42. tim religiosorum. B. Bernardus autem de Prælatis omnibus, quod æque, aut etiam præcipue, conuenit Cardinalibus ita nudos, atque famelicos clamantes, & queritantes inducit. Nobis frigore, & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in porticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos Dei plasmatio, & nos sanguine Christi redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit in superfluas copias vestras. Nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de vna prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis. Huc accedit, quod hæc omnia, nec negociationis studio, nec proprio manuum exercitio vobis elaborastis, sed nec iure hæreditario possi-

Digitized by Google

fidetis. Hæc & alia plura S. Bernardus in hanc eandem sententiam, quæ demum ita concludit, nunc quidem pauperes hæc corde tantum coram Deo loqui, cæterum, inquit, in futuro stabunt, in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, stante quippe pro eis Patre orphanorum, & iudice viduarum. Quare nihil potest esse dubitationis, quin inter reliqua ornamenta boni Cardinalis, hæc etiam liberalitas requiratur, & quidem non vt ornamentum voluntarium, sed vt necessarium. Itaque etsi ea quoque largitas referenda est ad facultates, tamen si in alterutro excedendum sit, satius est excedere in hanc partem quam & aliis vtiliorem, & Deo gratiorem scimus, cuius prouidentiæ, & curæ, si semper confidendum est, multo magis hac etiam causa adiuuante. Ex quo est illud D. Ambrosij non auctoritatem solum, sed etiam experientiam afferentis. Scio, inquit, plerosque Sacerdotes, quo plus contulerunt, plus abundasse. 2. *Offic.* c. 16.

Quid Cardinalis seruare debeat erga suam familiam.

CAPVT XXIII.

POst hoc generale, & commune officium, quod à Cardinali debetur hominum communitati, est etiam aliud magis proprium, & præcipuum familiæ debitum. Vt enim familia seruitium, fidem, studiumque ei impendit, sic ipsum familiæ curam, amorem, remunerationem rependere oportet. Prima autem cura esse debet in admittendo. Multi enim se importune ingerunt, multi aditum quærunt per amicos potentes, & quibus negari vix possit. Quare si ex aliorum arbitratu, aut precibus, & gratia omnes recipiãtur, sine dubio non aula erit, sed sentina vitiorum. Est igitur hic delectus adhibendus, præsertim cum multi occurrunt (quod fere euenit) vt aptissimi, & optimi quique seligantur; Nec valet ea ratio, vt quemadmodum si pingendum, aut ædificandum sit, sufficit vtrique rei bonũ artifi-

cem

cem inuenire,nec refert quibus sit moribus , sic in domesticis ministris satis esse in suo genere , vt Oeconomi aut Cubicularij, suum quisque munus expleat , cætera non adeo esse curanda. Non placet,inquã, nec consentaneum est.Aliud enim est alicuius operã conducere, aliud etiam in suorum numerum recipere ; illi enim amplius ad conductorem pertinent,horum autem non solum facta, sed etiam dicta præstanda sunt.Et quidem in iis,qui domi nascuntur, vt in liberis , non est huic discrimini locus , sed accipiendi sunt quicunque sunt : at eorum qui iudicio eliguntur,debet omnino magna haberi ratio , præsertim à Prælato & tanto Prælato,quantus est Cardinalis,idque tum eius officium, tum etiã bona existimatio requirit.Quã ob causam prudẽter S.Hieronymus ei præcipit,quem ad perfectam Clerici vitã instituit.Tales,inquit,habeto socios,quorum contubernio non infameris. Hoc faciebat Carolus ille Borromeus,quem accepimus adeo diligentem fuisse in hoc genere , vt neminem in suum reciperet gregem , quem non lente ac cun- *Epist.* 21.

Quid Cardinalis ſeruare debeat erga ſuam familiam.

CAPVT XXIII.

POſt hoc generale, & commune officium, quod à Cardinali debetur hominum communitati, eſt etiam aliud magis proprium, & præcipuum familiæ debitum. Vt enim familia ſeruitium, fidem, ſtudiumque ei impendit, ſic ipſum familiæ curam, amorem, remunerationem rependere oportet. Prima autem cura eſſe debet in admittendo. Multi enim ſe importune ingerunt, multi aditum quærunt per amicos potentes, & quibus negari vix poſſit. Quare ſi ex aliorum arbitratu, aut precibus, & gratia omnes recipiãtur, ſine dubio non aula erit, ſed ſentina vitiorum. Eſt igitur hic delectus adhibendus, præſertim cum multi occurrunt (quod fere euenit) vt aptiſſimi, & optimi quique ſeligantur; Nec valet ea ratio, vt quemadmodum ſi pingendum, aut ædificandum ſit, ſufficit vtrique rei bonũ artificem

cem inuenire,nec refert quibus sit moribus , sic in domesticis ministris satis esse in suo genere , vt Oeconomi aut Cubicularij, suum quisque munus expleat , cætera non adeo esse curanda. Non placet,inquã, nec consentaneum est.Aliud enim est alicuius operã conducere, aliud etiam in suorum numerum recipere ; illi enim amplius ad conductorem pertinent,horum autem non solum facta, sed etiam dicta præstanda sunt.Et quidem in iis,qui domi nascuntur, vt in liberis , non est huic discrimini locus , sed accipiendi sunt quicunque sunt : at eorum qui iudicio eliguntur,debet omnino magna haberi ratio , præsertim à Prælato & tanto Prælato,quantus est Cardinalis,idque tum eius officium, tum etiã bona existimatio requirit.Quã ob causam prudẽter S.Hieronymus ei præcipit,quem ad perfectam Clerici vitã instituit. Tales,inquit,habeto socios,quorum contubernio non infameris. Hoc faciebat Carolus ille Borromeus,quem accepimus adeo diligentem fuisse in hoc genere , vt neminem in suum reciperet gregem , quem non lente ac cun- *Epist.* 21.

cun-

Quid Cardinalis seruare debeat erga suam familiam.

CAPVT XXIII.

POst hoc generale, & commune officium, quod à Cardinali debetur hominum communitati, est etiam aliud magis proprium, & præcipuum familiæ debitum. Vt enim familia seruitium, fidem, studiumque ei impendit, sic ipsum familiæ curam, amorem, remunerationem rependere oportet. Prima autem cura esse debet in admittendo. Multi enim se importune ingerunt, multi aditum quærunt per amicos potentes, & quibus negari vix possit. Quare si ex aliorum arbitratu, aut precibus, & gratia omnes recipiãtur, sine dubio non aula erit, sed sentina vitiorum. Est igitur hic delectus adhibendus, præsertim cum multi occurrunt (quod fere euenit) vt aptissimi, & optimi quique seligantur; Nec valet ea ratio, vt quemadmodum si pingendum, aut ædificandum sit, sufficit vtrique rei bonũ artificem

cem inuenire, nec refert quibus sit moribus, sic in domesticis ministris satis esse in suo genere, vt Oeconomi aut Cubicularij, suum quisque munus expleat, cætera non adeo esse curanda. Non placet, inquã, nec consentaneum est. Aliud enim est alicuius operá conducere, aliud etiam in suorum numerum recipere; illi enim amplius ad conductorem pertinent, horum autem non solum facta, sed etiam dicta præstanda sunt. Et quidem in iis, qui domi nascuntur, vt in liberis, non est huic discrimini locus, sed accipiendi sunt quicunque sunt: at eorum qui iudicio eliguntur, debet omnino magna haberi ratio, præsertim à Prælato & tanto Prælato, quantus est Cardinalis, idque tum eius officium, tum etiã bona existimatio requirit. Quã ob causam prudẽter S. Hieronymus ei præcipit, quem ad perfectam Clerici vitã instituit. Tales, inquit, habeto socios, quorum contubernio non infameris. Hoc faciebat Carolus ille Borromeus, quem accepimus adeo diligentem fuisse in hoc genere, vt neminem in suum reciperet gregem, quem non lente ac cun-

Epist. 22.

Quid Cardinalis seruare debeat erga suam familiam.

Caput XXIII.

POst hoc generale, & commune officium, quod à Cardinali debetur hominum communitati, est etiam aliud magis proprium, & præcipuum familiæ debitum. Vt enim familia seruitium, fidem, studiumque ei impendit, sic ipsum familiæ curam, amorem, remunerationem rependere oportet. Prima autem cura esse debet in admittendo. Multi enim se importune ingerunt, multi aditum quærunt per amicos potentes, & quibus negari vix possit. Quare si ex aliorum arbitratu, aut precibus, & gratia omnes recipiãtur, sine dubio non aula erit, sed sentina vitiorum. Est igitur hic delectus adhibendus, præsertim cum multi occurrunt (quod fere euenit) vt aptissimi, & optimi quique seligantur; Nec valet ea ratio, vt quemadmodum si pingendum, aut ædificandum sit, sufficit vtrique rei bonũ artificem

cem inuenire, nec refert quibus sit moribus, sic in domesticis ministris satis esse in suo genere, vt Oeconomi aut Cubicularij, suum quisque munus expleat, cætera non adeo esse curanda. Non placet, inquã, nec consentaneum est. Aliud enim est alicuius operã conducere, aliud etiam in suorum numerum recipere; illi enim amplius ad conductorem pertinent, horum autem non solum facta, sed etiam dicta præstanda sunt. Et quidem in iis, qui domi nascuntur, vt in liberis, non est huic discrimini locus, sed accipiendi sunt quicunque sunt: at eorum qui iudicio eliguntur, debet omnino magna haberi ratio, præsertim à Prælato & tanto Prælato, quantus est Cardinalis, idque tum eius officium, tum etiã bona existimatio requirit. Quã ob causam prudẽter S. Hieronymus ei præcipit, quem ad perfectam Clerici vitã instituit. Tales, inquit, habeto socios, quorum contubernio non infameris. Hoc faciebat Carolus ille Borromeus, quem accepimus adeo diligentem fuisse in hoc genere, vt neminem in suum reciperet gregem, quem non lente ac cun- *Epist. 21.*

cem inuenire, nec refert quibus sit moribus, sic in domesticis ministris satis esse in suo genere, vt Oeconomi aut Cubicularij, suum quisque munus expleat, cætera non adeo esse curanda. Non placet, inquã, nec consentaneum est. Aliud enim est alicuius operá conducere, aliud etiam in suorum numerum recipere; illi enim amplius ad conductorem pertinent, horum autem non solum facta, sed etiam dicta præstanda sunt. Et quidem in iis, qui domi nascuntur, vt in liberis, non est huic discrimini locus, sed accipiendi sunt quicunque sunt: at eorum qui iudicio eliguntur, debet omnino magna haberi ratio, præsertim à Prælato & tanto Prælato, quantus est Cardinalis, idque tum eius officium, tum etiã bona existimatio requirit. Quã ob causam prudẽter S. Hieronymus ei præcipit, quem ad perfectam Clerici vitã instituit. Tales, inquit, habeto socios, quorum contubernio non infameris. Hoc faciebat Carolus ille Borromeus, quem accepimus adeo diligentem fuisse in hoc genere, vt neminem in suum reciperet gregem, quem non lente ac cun- *Epist. 21.*

& insatiabili corde, cum hoc non edebam. Superbiam primum, & auaritiam remouet, & qui his vitiis laborent, cum his ne cibum quidem capere se posse profitetur. Addit deinde, quos ad suum obsequium adsciscceret. Oculi mei ad fideles terræ, ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat: quasi diceret, ita se viros integros inquirere solere, vt vbicumque terrarum essent, ad se aduocaret. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum, id est, nullo apud me loco fuit, nulla gratia. Hoc igitur si faciebat princeps laicus, nõ multo magis faciat princeps Ecclesiasticus? Certe S. Bernardus etiam à Summo Pontifice id exigit inter reliquas curas totius orbis terrarum. Sic enim ad Eugenium, Sũt, inquit, quæ te ignorare nolim, mores quorũque, & studia. Non oportet vt vitia domus tuę vltimus scias, quod quãplurimis uouimus contigisse. Quapropter alius alia dispensat, de disciplina tu prouide, illud nemini credas, si insolentior coram te sermo sonuerit, vel

Lib. 4. consid.

habitus

habitus apparuerit, manus tua ſuper eiuſmodi, tu vlciſcere iniuriam tuam. Impunitas auſum parit, auſus exceſſum. Domum Epiſcopi decet ſanctitudo, decet honeſtas, horum diſciplina cuſtos. In vultu, in habitu, in inceſſu illorum, qui circa te ſunt, nihil reſidere impudicũ, nihil indecens patiaris. Hæc Bernardus. De ſancto Elzeario, cuius paulo ante mentionem fecimus, ita ſcriptum legimus, adeo fuiſſe ſeuerum, in diſciplina familiæ, vt apertè diceret, nolle ſe quemquam ſuo pane veſci, quem mortali peccato implicatũ ſciret, idque exequebatur: ſtatim enim expellebat, quem cognorat, turpe aliquid admiſiſſe. Multas etiam leges præſcripſerat, quas ab omnibus volebat ſeruari & hanc inter alias vt omnes aulici, ac milites quoque, quos domi habebat ſingulis hebdomadis peccata confeſſione expiarent; blaſphemias autem, immo vero Sacramenta leuiter ac temere pronunciata, nullo modo tolerabat. Quin etiam ſanxerat, ne quiſquam alterum offenderet, quod ſi faceret, ſtatim in gratiam rediret, volebatque omnes in ſumma

ctanter periclitatus esset. Nam nisi omnino essent ex diuturna familiaritate perspecti, eos ad menses aliquot in alia quadam domo retinebat vbi plane perspiceret, quales essent. Quod etsi cõmuniter factu difficile est nec semper necessarium, tamen hanc partem omnes imitari oporteret, vt non nimium faciles se præberẽt in recipiendo, sed potius ex bonorum, & fidelium hominum testimoniis studerent, vnumquemque cognoscere. Hæc igitur prima debet esse cura.

Altera deinde est, postquam in domo fuerint, vt vitam ducant quam oportet, à qua cura non debet Cardinalis existimare se immunem esse. Immo vero vt ait S. Antoninus peccat si non prouideat, vt familia quam habet sit honesta, nõ vacans cõpotationibus, non obscænitatibus, non rixis, aut inimicitiis, nec etiã adulationibus. Quod eo magis prouidendum, & curandum est, quia in aula vt plurimum haud ita multum loci est virtuti, & frequentius vigent vitia, verumque est quod à S. Bernardo scriptum est: Curia bonos facilius recipere magis, quam facere con

p. 3. tit. 21. c. 2.

4. de cõsid.

consuevit. Et Pius II. Pontifex vir magno ingenio, elegantique doctrina, cuius multa feruntur sapienter dicta, hoc etiam inter reliqua dicere solebat, vt in mare flumina omnia, sic omnia vitia in aulas magnas præsertim confluere solere. Cum igitur hoc ita sit, officium est Cardinalis, vt non modo vigilet pro domo sua, sed etiam hoc ita faciat, vt sciatur eum vigilare, & hæc sit opinio eum inimicũ fore omnibus vitiosis. Nam hic metus absterrebit à peccando, & cum initio id metu fecerint, paulatim deinde virtutis capti dulcedine assuescent sponte facere, quod faciũt. Hæc enim hominis natura, hæc vis est cõsuetudinis. Quare hoc plane faciẽdum Cardinalibus, vt quoad diligentia, ac prudẽtia conniti possunt, omnia vitia domo sua exturbent, nec committant, vt cum Dei se seruos esse profiteantur, Dei hostes domi suæ alant, & alant ex eo ipso, quod à Deo accipiunt, & præsertim Ecclesiasticis opibus, quæ sunt Deo consecratæ. Videamus quid de seipso prædicet Dauid in eo Psalmo, quo boni principis formam describit. *Superbo oculo,* *Psal.100*

ctanter periclitatus esset. Nam nisi omnino essent ex diuturna familiaritate perspecti, eos ad menses aliquot in alia quadam domo retinebat vbi plane perspiceret, quales essent. Quod etsi cõmuniter factu difficile est nec semper necessarium, tamen hanc partem omnes imitari oporteret, vt non nimium faciles se præberẽt in recipiendo, sed potius ex bonorum, & fidelium hominum testimoniis studerent, vnumquemque cognoscere. Hæc igitur prima debet esse cura.

Altera deinde est, postquam in domo fuerint, vt vitam ducant quam oportet, à qua cura non debet Cardinalis existimare se immunem esse. Immo vero vt ait S. Antoninus peccat si non prouideat, vt familia quam habet sit honesta, nõ vacans cõpotationibus, non obscænitatibus, non rixis, aut inimicitiis, nec etiã adulationibus. Quod eo magis prouidendum, & curandum est, quia in aula vt plurimum haud ita multum loci est virtuti, & frequentius vigent vitia, verumque est quod à S. Bernardo scriptum est: Curia bonos facilius recipere magis, quam facere

p. 3. tit. 21. c. 2.

4. de cõsid.

con

consuevit. Et Pius II. Pontifex vir magno ingenio, elegantique doctrina, cuius multa feruntur sapienter dicta, hoc etiam inter reliqua dicere solebat, vt in mare flumina omnia, sic omnia vitia in aulas magnas præsertim confluere solere. Cum igitur hoc ita sit, officium est Cardinalis, vt non modò vigilet pro domo sua, sed etiam hoc ita faciat, vt sciatur eum vigilare, & hæc sit opinio eum inimicũ fore omnibus vitiosis. Nam hic metus absterrebit à peccando, & cum initio id metu fecerint, paulatim deinde virtutis capti dulcedine assuescent sponte facere, quod faciũt. Hæc enim hominis natura, hæc vis est cõsuetudinis. Quare hoc plane faciẽdum Cardinalibus, vt quoad diligentia, ac prudẽtia conniti possunt, omnia vitia domo sua exturbent, nec committant, vt cum Dei se seruos esse profiteantur, Dei hostes domi suæ alant, & alant ex eo ipso, quod à Deo accipiunt, & præsertim Ecclesiasticis opibus, quæ sunt Deo consecratæ. Videamus quid de seipso prædicet Dauid in eo Psalmo, quo boni principis formam describit. *Superbo oculo,* *Psal.100*

&anter periclitatus esset. Nam nisi omnino essent ex diuturna familiaritate perspecti, eos ad menses aliquot in alia quadam domo retinebat vbi plane perspiceret, quales essent. Quod etsi cõmuniter factu difficile est nec semper necessarium, tamen hanc partem omnes imitari oporteret, vt non nimium faciles se præberẽt in recipiendo, sed potius ex bonorum, & fidelium hominum testimoniis studerent, vnumquemque cognoscere. Hæc igitur prima debet esse cura.

Altera deinde est, postquam in domo fuerint, vt vitam ducant quam oportet, à qua cura non debet Cardinalis existimare se immunem esse. Immo vero vt ait S. Antoninus peccat si non prouideat, vt familia quam habet sit honesta, nõ vacans cõpotationibus, non obscænitatibus, non rixis, aut inimicitiis, nec etiã adulationibus. Quod eo magis prouidendum, & curandum est, quia in aula vt plurimum haud ita multum loci est virtuti, & frequentius vigent vitia, verumque est quod à S. Bernardo scriptum est: Curia bonos facilius recipere magis, quam facere con

p. 3. tit. 21. c. 2.

4. de cõsid.

consueuit. Et Pius II. Pontifex vir magno ingenio, elegantique doctrina, cuius multa feruntur sapienter dicta, hoc etiam inter reliqua dicere solebat, vt in mare flumina omnia, sic omnia vitia in aulas magnas præsertim confluere solere. Cum igitur hoc ita sit, officium est Cardinalis, vt non modo vigilet pro domo sua, sed etiam hoc ita faciat, vt sciatur eum vigilare, & hæc sit opinio eum inimicũ fore omnibus vitiosis. Nam hic metus absterrebit à peccando, & cum initio id metu fecerint, paulatim deinde virtutis capti dulcedine assuescent sponte facere, quod faciũt. Hæc enim hominis natura, hæc vis est cõsuetudinis. Quare hoc plane faciẽdum Cardinalibus, vt quoad diligentia, ac prudẽtia conniti possunt, omnia vitia domo sua exturbent, nec committant, vt cum Dei se seruos esse profiteantur, Dei hostes domi suæ alant, & alant ex eo ipso, quod à Deo accipiunt, & præsertim Ecclesiasticis opibus, quæ sunt Deo consecratæ. Videamus quid de seipso prædicet Dauid in eo Psalmo, quo boni principis formam describit. *Superbo oculo,* Psal. 100

ctanter periclitatus esset. Nam nisi omnino essent ex diuturna familiaritate perspecti, eos ad menses aliquot in alia quadam domo retinebat vbi plane perspiceret, quales essent. Quod etsi cõmuniter factu difficile est nec semper necessarium, tamen hanc partem omnes imitari oporteret, vt non nimium faciles se præberẽt in recipiendo, sed potius ex bonorum, & fidelium hominum testimoniis studerent, vnumquemque cognoscere. Hæc igitur prima debet esse cura.

Altera deinde est, postquam in domo fuerint, vt vitam ducant quam oportet, à qua cura non debet Cardinalis existimare se immunem esse. Immo vero vt ait S. Antoninus peccat si non prouideat, vt familia quam habet sit honesta, nõ vacans cõpotationibus, non obscænitatibus, nou rixis, aut inimicitiis, nec etiã adulationibus. Quod eo magis prouidendum, & curandum est, quia in aula vt plurimum haud ita multum loci est virtuti, & frequentius vigent vitia, verumque est quod à S. Bernardo scriptum est: Curia bonos facilius recipere magis, quam facere

p. 3. tit. 21. c. 2.

4. de cõsid.

con

consuevit. Et Pius II. Pontifex vir magno ingenio, elegantique doctrina, cuius multa feruntur sapienter dicta, hoc etiam inter reliqua dicere solebat, vt in mare flumina omnia, sic omnia vitia in aulas magnas præsertim confluere solere. Cum igitur hoc ita sit, officium est Cardinalis, vt non modo vigilet pro domo sua, sed etiam hoc ita faciat, vt sciatur eum vigilare, & hæc sit opinio eum inimicũ fore omnibus vitiosis. Nam hic metus absterrebit à peccando, & cum initio id metu fecerint, paulatim deinde virtutis capti dulcedine assuescent sponte facere, quod faciũt. Hæc enim hominis natura, hæc vis est cõsuetudinis. Quare hoc plane faciẽdum Cardinalibus, vt quoad diligentia, ac prudẽtia conniti possunt, omnia vitia domo sua exturbent, nec committant, vt cum Dei se seruos esse profiteantur, Dei hostes domi suæ alant, & alant ex eo ipso, quod à Deo accipiunt, & præsertim Ecclesiasticis opibus, quæ sunt Deo consecratæ. Videamus quid de seipso prædicet Dauid in eo Psalmo, quo boni principis formam describit. *Superbo oculo,* *Psal.100*

& insatiabili corde, cum hoc non edebam. Superbiam primum, & auaritiam remouet, & qui his vitiis laborent, cum his ne cibum quidem capere se posse profitetur. Addit deinde, quos ad suum obsequium adsciscceret. Oculi mei ad fideles terræ, ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat: quasi diceret, ita se viros integros inquirere solere, vt vbicumque terrarum essent, ad se aduocaret. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum, id est, nullo apud me loco fuit, nulla gratia. Hoc igitur si faciebat princeps laicus, nõ multo magis faciat princeps Ecclesiasticus? Certe S. Bernardus etiam à Summo Pontifice id exigit inter reliquas curas totius orbis terrarum. Sic enim ad Eugenium, Sũt, inquit, quæ te ignorare nolim, mores quorũque, & studia. Non oportet vt vitia domus tuę vltimus scias, quod quãplurimis uouimus contigisse. Quapropter alius alia dispensat, de disciplina tu prouide, illud nemini credas, si insolentior coram te sermo sonuerit, vel

Lib. 4. consid.

habitus

habitus apparuerit, manus tua ſuper eiuſmodi, tu vlciſcere iniuriam tuam. Impunitas auſum parit, auſus exceſſum. Domum Epiſcopi decet ſanctitūdo, decet honeſtas, horum diſciplina cuſtos. In vultu, in habitu, in inceſſu illorum, qui circa te ſunt, nihil reſidere impudicū, nihil indecens patiaris. Hæc Bernardus. De ſancto Elzeario, cuius paulo ante mentionem fecimus, ita ſcriptum legimus, adeo fuiſſe ſeuerum, in diſciplina familiæ, vt apertè diceret, nolle ſe quemquam ſuo pane veſci, quem mortali peccato implicatū ſciret, idque exequebatur: ſtatim enim expellebat, quem cognorat, turpe aliquid admiſiſſe. Multas etiam leges præſcripſerat, quas ab omnibus volebat ſeruari & hanc inter alias vt omnes aulici, ac milites quoque, quos domi habebat ſingulis hebdomadis peccata confeſſione expiarent; blaſphemias autem, immo vero Sacramenta leuiter ac temere pronunciata, nullo modo tolerabat. Quin etiam ſanxerat, ne quiſquam alterum offenderet, quod ſi faceret, ſtatim in gratiam rediret, volebatque omnes in ſumma

pace & concordia degere. Quãobrem non est quod quisquam difficultatem excuset, aut dicat non posse aulas reformari, vel præscribi leges aulicis. Nã si hic omnino Laicus, & vxoriis vinculis impeditus, addo etiam in ipso feruore ætatis (sic enim accepimus) hæc omnia tã bene intelligere, atque etiam exequi potuit, quomodo non turpe sit in eo statu, qui peculiari quadam ratione Deo est consecratus, non hæc eadem, aut æque, aut etiam melius efficere? Adsit modo voluntas patrisfamilias, qua nihil efficacius ad seruos quaqua versus impellendos. Nam si ea se ostenderit, omnia plana, & expedita erunt. Itaque optima est ea regula, & ab omnibus vtique Cardinalibus curanda, quam Borromæus proponit in illa ad Battoreum Cardinalem Epistola, quam sæpe protulimus. Curabis, inquit familiam castam, nec patieris inter domesticos tuos quempiam viuere, cuius non modo impudica sint facta, sed cuius etiam non sint verba, & mores admodum pudici, habeasque domi probatæ virtutis viros, qui in hanc rem inuigilent, & qui te crebro

de

de domeſticorum vita commonefaciant.Modeſtia in verbis,& cultu corporis cernatur. Inſuper curabis vt iuramenta à familia tua abſint,turpes ſermones, ſcurriles ioci, conuicia, contumeliæ, & omnium verborum genera, quæ alios lædant, inter tuos nec dici, nec audiri fines. Veſtitus autem etſi decens eſſe poterit,cauebis tamen vt à familia viri Eccleſiaſtici procul ſit is corporis ornatus,quo milites, & prophani iuuenes vti ſolent.Nihil itaque quod vanitatem, & oſtentationem præ ſe ferat,in tuo,& tuorum ornatu conſpiciatur. Hactenus Borromæus,quibus vnum addere libet,quod ad veſtitum attinet, decere omnino Cardinalem, vt eius aſſeclæ ſi non omnes, quod ipſe Borromæus faciebat, ſaltem magna ex parte Clericali habitu vtantur; hoc enim & grauitatem redolet, & illis ipſis quandam maioris modeſtiæ neceſſitatem imponit,& magis etiam conuenit Cardinali. Vt enim dedeceret, ſi prophano Principi Clerici multi famularentur, ſic etiã non video,cur non indecorum ſit,plures Laicos verſari in Eccleſiaſtici

Principis comitatu ; sed de familiæ moribus formandis, satis dictum est, si vnum illud addidero, nullam aptiorem, aut compendiosiorē esse ad hoc efficiendum viam, quam si Cardinalis ipsius exemplum præluceat in omni virtute. Nam & hoc efficacius ad mouendum, & alioquin frustra in aliis inducere conabitur eam formam, à qua ipsius mores dissideant, & quantum verbis, ac præceptis efficere studebit, in suis tantum destruet factis.

Atque hæc quidem cura, de qua hactenus diximus, ad animum spectat, & ad diuina. Verum est etiam aliqua cura impendenda corporibus, idque necessarium est, quoniam neque aliter esset qui seruitutis laborem perferret, & ipsa iustitia, æquitas hoc requirit, vt labori, & seruitio sua reddatur merces. Itaque recte Bernardus ad Eugenium, Necessaria, inquit, de manu tua accipiant, his contenti sint; tu vide ne egeant. Quare conuenit vtique Cardinali, vt domesticis famulis honesta constituat salaria; atque eos etiam reliqua omni liberalitate prosequatur, quam facultas, & vires

Lib. 4. de consid.

sinent,

sinent. In quo genere plurimum enituit, vt in cæteris Caroli Borromæi virtus,quem scimus, idque adhuc tradunt eius intimi, amasse suos omnes, non vt seruos, sed vt filios,& fratres, & largè suppeditasse quæ oportebat, quin etiam quanquam nollet ab vllo sibi seruiri, spe vllius beneficij Ecclesiastici,omniũ tamen merita pro ratione personarum, atque pro meritis cumulatè remunerabatur. Insuper etiam consueuerat quotquot domi habebat alloqui, interdum etiam cum singulis colloqui,etiam infimis, atque ex ipso stabulo, aut coquina, vt resciret quomodo tractarentur, & an alicui fieret iniuria.Illud vero optimum,& ab omnibus Cardinalibus ita accipiendum, vt formula imperitandi suis, quod cum ipse in seipsum adeò seuerus esset, tamen in famulos omnem moderationem tenebat. Itaque cum nocte ad sua studia surgebat, ne cuiquam oneroſus esset, ipsemet manu sua lumen petebat ex lampade,quã ob hanc ipsam causam in suo cubiculo ardere perpetuo volebat, ipse quoque cum maturum erat anagnosti suo lumen

defe

deferebar, ſed ſilentio, ne dormientem excitaret, vt cũ per ſe expergiſceretur, accenſam inueniret lucernam. Idem etiã cum aliquis ſuorum ægrotaret iubebat eũ omnino quàm diligentiſſimè curari, eiq; muneri certos homines peritos, & charitate flagrantes præfecerat, ac ſubinde ab aliis domeſticis viſitari volebat, & ipſemet etiã viſitabat, non ſolum nobiliores, ſed infimos, tãta comitate, ſuauitate, vt nemo eſſet, cui non illa domini ſui humanitas morbum leuare videretur. Hęc vberius idcirco cõmemoraui, quoniam meo iudicio non tam exempli vim habent, quã pręcepti, nec melius, aut aptius aliquid in hoc toto genere tradi poteſt. Eadem etiam laus tribuitur Iuliano illi Cæſarino Cardinali, qui cũ paruos admodũ haberet redditus, quantũ ſcilicet ex galero atque ex tenui quadam Eccleſia percipiebat, mediocrem etiam alebat familiam, non ampliùs quã triginta hominum, ſed hanc præcipuo quodam amore complectebatur, ac fouebat, in morbis ipſe quoque tum neceſſaria præbebat omnia, tum etiam vltro inuiſebat, & conſolabatur

ægro

ægrotos,multisque contigit,vt in eius manibus cum magno suo solatio spiritum Deo redderent. Verum huc etiam pertinet facilitas quædam in tolerando,quæ inter domesticas virtutes, vel maximè Cardinalem ornat ; & est index insitæ grauitatis, vt contra impatientia,& morositas indicat leuitatem, & ad multas adigit ineptias. Itaque multum hoc nomine laudatus est Pius Secundus,de quo paulò antediximus, quem ferunt hanc humanitatem in omnes famulos præcipue tenuisse , & cum inscitia, aut etiam ignauia , & negligentia peccarent , paterna potius charitate admonere, quàm seuera obiurgatione excipere solitum. Sed in hac quam dicimus humanitate illud obseruandum video , vt sit quàm maximè communis omnibus : quæ enim paucis quibusdam aut etiam vni defertur, ea quidem reliquis ingrata , & odiosa est. Itaque in familia gubernanda hoc etiam ipsum curandum à Cardinali,ne se nimium dedat vlli ex suis, ac nimis familiariter eum adhibeat, quãtumuis probum,ac fidelem nactus sibi videatur. Hoc enim multorum in

aulis

aulis malorum ſeminarium eſſe ſolet, inuidiæ, æmulationis, delationum, iurgiorū, ſermonum, qui non in eos modo, qui ſic amantur, ſed in ipſum Principem erumpunt, quoniam omnes indignè ferunt vnum ſibi adeo præferri, ex quo fit vt Cardinalis vnū ſui amantem, reliquos à ſe alienos, & penè inimicos alat. Deinde illi etiá qui ſic cæteris præferuntur, vt plurimum inſolescunt illo fauore inflati, ſenſimque nō ſolum in alios, ſed in ipſum etiam dominum dominantur. Quod ſi nihil horum eſſet, tamen ipſa ſpecies ſerui tam gratioſi, non decet Cardinalem, nec vllam habet dignitatem, aut prudentiæ, vel grauitatis ſignificationem, eoque magis ſi ex propenſa voluntate, non ex ratione aliqua aut ex alterius meriti, vel officij, quod gerat, neceſſitate, familiaritas tanta proueniat, maximè verò ſi illum malis etiam artibus, vt ſæpe vſu venit, in eam ſeſe inſinuaſſe appareat.

Quid Cardinali ſeruandum ſit erga ſuos propinquos.

CAPVT XXIV.

DEinceps videndum quo ſe modo geret Cardinalis aduerſus conſanguineos, & propinquos. In quo quidem vna eſt difficultas, vnum periculum ab illa naturali propenodum, & inſita cupiditate augendi quàm maximè eos,& ornandi. Quare hoc iam tractandum,quid in hoc genere liceat, quid non liceat. Incipiendum eſt autem ab illa quæſtione,quam in ſcholis accuratè tractari videmus, an qui Eccleſiaſticis bonis fruuntur,eorum fructuum,ac prouentuum ſint domini,an vero vſus tantum ſit eis conceſſus.Neque tamen præſentis eſt loci controuerſiam hanc definire, quoniam alterutra vera ſit harum ſententiarũ,idem plane ſequitur, quod ad rem noſtram facit; Nam ſi dominium non habent, nihil ſunt aliud, quam adminiſtratores,in quo hæc fides, & integritas requiri

quiritur, vt non possint abuti, non ad libitum profundere, aut cui velint erogare, sed vt rem alienam castè, sobriéque dispensent. Si verò dominium habeant, tamen nemini dubitare licet, quin ea, quæ vitæ, & statui superflua sunt, in pauperum alimenta impendi oporteat, quoniam ad hunc videlicet finem sunt hi reddítus instituti. Quod sanè nō ita accipiendū est, cū extrema occurrit necessitas, hæc enim vel sæculares ipsos obligat, quorum facultates prophanæ, & propriæ sunt. Ab Ecclesiasticis autem hoc amplius requiritur, vt etiam pauperibus in egestate subueniant. Hoc igitur posito, quod adeo certum, & apertum est, illud etiam apertè sequitur, fas non esse, ista superflua seruare, ad suas vel suorum diuitias cumulandas, aut ad eorum statum augendum, & promouendum, idque ob eam causam quam diximus. Itaque Vrbanus Pontifex, Res, inquit, fidelium, quæ domino offeruntur, non debent in aliis vsibus, quam Ecclesiasticis, & Christianorum fratrum, vel indigentium conuerti, quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, & patrimo

trimonia pauperum. Quare hoc ſtabiliendum,& pro certo habendum, non poſſe omnino Cardinalem ſine magna culpa ex Eccleſiaſticis opibus propinquos ſuos locupletare. Quocirca recte recte monet S. Antoninus: Non thesaurizent, nec tribuant conſanguineis pluſquam indigent, & pluſquam eis congruit. Et Turrecremata cum Cardinalium peccata commemoraret, hoc quoque inter præcipua ponit, Cum dilatant, inquit, patrimonia ex redditibus Eccleſiæ, emendo villas, & poſſeſſiones, & caſtra ſuis conſanguineis, & eos ditando. Neque vero excuſantur, quoniam ſimul etiam aliquas eleemoſynas pauperibus tribuant, cum hęc ſit pars minima atque deterrima. Dant enim pauperibus viliſſima quæque, propinquis optima, & maxima. Hæc ille iiſdem verbis. Idem docent etiam Canoniſtæ ipſi, vt Andreas Barbatius in eo libro quem ſcripſit ad Beſſarionem Cardinalem eo tempore Bononiæ Legatum. Hic igitur ita ſentit, quicquid Cardinalis acquirat ex Cardinalatu, acquiri Eccleſiæ, nec donare poſſe, niſi

p.3.tit. 21.c.2.

2.de Eccl.c.16.

De Cardin. c. 1. q.11.

niſi exiguam partem. Quod ſi ex ea pecunia emerit bona, illa bona Eccleſiæ deberi, immò verò ſi in ipſo paterno ſolo ædificarit, non tantum id quod ædificauit, ſed etiam ſolum ipſum Ecp.1.p.3 cleſiæ cedere. Addit etiam alio loco, hoc eo certius eſſe, ſi quis eo tempore quoad Cardinalatum proue&tus eſt, non habuit propria bona: ſi verò dubium ſit, an habuerit, tum præiudicium eſſe pro Eccleſia. Narrat præterea hãc ipſam quæſtionem, vſu veniſſe ſua ætate, cum Cardinalis Pergamenſis Fratris filio magnam feciſſet donationem, quam ait à Iuriſconſultis Mediolanenſibus irritam, & inualidam eſſe iudicatam, quorum ſententię ipſe quoque ſubſcribit, eamque pluribus deinp.1.q.4. de confirmat; Denique illud etiam diſputat, an Summus Pontifex concedere poſſit Cardinali teſtandi facultatem, de rebus ex Cardinalatu quæſitis: multaque affert cur non poſſit, quia cum hæc bona Eccleſiæ ſint, non debet ea ſuo iure priuari: quòd ſi concedat, ita intelligi debere ad pias tantummodo cauſas, & ad eleemoſynas faciẽdas, ſiue ad remũnerandos benemeritos:

non

non autem ad locupletandos propinquos. Hæc ille, nec solus. Eadem enim sentiunt non modo Theologi, sed etiã Iurisconsulti, omnes plane, quos adhuc de Cardinalium statu scripsisse comperi, vt Iacobatius, qui item Cardinalis ipse fuit in libro de Conciliis. Hieronymus Manfredus, Hieronymus Albanus, vterque in opusculo de Cardinalibus. Ita enim affirmant omnes, eam Pontificis concessionem debere intelligi penes iuris Canonici definitionem nimirum ad pias causas. Immò vero hoc etiam addere non dubitant, qui secus faciat, eum quidem in exteriori furo tutum futurum propter Pontificiam auctoritatem, sed non ita tutum in foro illo conscientiæ interiori. Quid autem refert in hominum tribunalibus vincere causam, quam deinde perdas in DEI tribunali? præsertim cum illic pecuniam, aut prædium vincas, hic autem animam in perpetuum perdas. Sed quid doctorum hominum sententias colligimus, cum videamus, quid sacri Canones, & sacra Concilia definiant? Extat Canon ex Synodo septima: Quisquis Episcopus aliquid

Lib. 1. fol. 33. Decis. 131. Quæst. 47.

c quisquis 12. quæst. 2.

quid tranſtulerit extra Eccleſiam, irritum ſit. Non liceat ei fraudare quicquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ Dei ſunt. Quod ſi pauperes fuerint, vt pauperibus largiatur, ſed non ſub horum occaſione, quæ ſunt Eccleſiæ defraudentur. Hæc illo loco. planum eſt autem quid ſit largiri vt pauperibus, id eſt, ſi verè egeant, & præterea particulam duntaxat aliquam. Quo pertinet etiam illud ex Concilio Toletano. Quicunque Pontificum, aut ſanguine propinquis, aut fauore perſonis quibuſcumque ſibi coniunctis talia lucra commendare tentauerit, irritum ſit, & per annum excommunicationi ſubiaceat. Et alibi: Quicumque Epiſcopus decimas, & oblationes Laicis conferat, & famulis, vel quod grauius eſt, conſanguineis, inter maximos hæreticos, & inter Antichriſtos non minimus habeatur. Denique quod grauiſſimum eſt, idem etiam decernitur apertiſſime in Tridentino Concilio. Quam maximè, inquit, poteſt, eos ſancta Synodus monet, vt omnem humanum affectum, vnde multorum malorum in Eccleſia

d. 89. c. Deuter.

c. peruenit. 1. q. 3

Seſſ. 25. c. 1.

ſemina

ſeminarium extat, penitus deponant, omnino eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos familiaréſve ſuos augere ſtudeant, ſed ſi pauperes ſint, iis vt pauperibus diſtribuant. Hæc ad Epiſcopos, ſed ſtatim additur, eadem quoque prę ſcribi Cardinalibus, & quidem multò etiam magis.

Sed tamen ne nimis ſeuerè agere videamur, & potius vt quantum fas ſit, veritaſque permittat, humanæ infirmitati indulgeamus, conſideremus, nunc quid liceat, & quatenus liceat Cardinali conferre in ſuos. Primum igitur etiam ſi non egeant, dare eis liceret, quod ſibi Cardinalis parcè viuendo ex ſuæ perſonæ decoro detraheret. Sic enim habet res, vt dicunt Theologi, de Monacho iter faciente, poſſe eum eleemoſynam dare ex eo, quod ſua parſimonia, ſuo ipſius victui detrahit. Deinde ex multorum ſententia excipiuntur penſiones, quæ cum ſecularium ferè reddituum loco habeantur, vix maiorem Clericis obligationem afferre poſſe videntur, quàm faciant ipſi redditus ſeculares,

lares, maximè si vt fieri solet, ad congruam decentemque sustentationem assignatæ sint. Nam si quis parcius fortè frugaliusque viuens curauerit vt ex assignatis sibi ad victum pensionibus aliquid superfit, certè id quod supereſt ita suum facit, vt possit in quemcunque voluerit etiam non egentem transferre, iuxta regulam quam mox posuimus. Præterea hi quoque excipiuntur, qui patrimonia habẽt, ex quibus viuere possint, tum enim nihil impedit, quo minus se ex Ecclesiæ sustentent redditibus, proprios vero redditus conseruent, iisque vt libet, vtantur. Quo nomine non ea tantum comprehenduntur, quæ sunt ex patrimonio, sed etiam alia quæ Cardinalis sua quæsiuit industria, non ab Ecclesia prouenerunt: comprehenduntur item quæ hæreditate relicta essent, non vt Cardinali sed vt affini, aut amico. Sic enim Albanus, qui tamen addit, re dubia, potius iudicandum pro Ecclesia. Postremo potest etiam dari consanguineis cum egent, perinde atque aliis. Nam ea sine dubio vera, & iusta est eleemosyna. Immo vero

De Car. qu. 48.

vero aliis etiam pauperibus præferri, & possunt, & debent. Tantum videndum est Cardinali, ne se ab humanis affectibus decipi, & transuersum agi sinat. Nam hoc vtrumque bene à S. Ambrosio præcipitur, vt nec deserantur cognati cum opus est, nec plus detur, quam opus sit. Est etiam illa, inquit, probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim vt ipse subuenias tuis, non tamen vt illi ditiores fieri velint. Neque enim propterea te Deo dicasti, vt tuos diuites facias, sed vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata redimas tua. Putant se parum poscere. pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt. Et accusant quod eum diuitem non feceris, cum te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede. Hæc Ambrosius ad Clericos; quod quidem ad rem facit; Est autem in hoc eius dicto illud magnopere obseruandum, quod propinquos ait, cũ ab Ecclesiastico de bonis Ecclesiæ accipiũt, fraudare eum æternæ vitæ mercede: ex quo item

1. *Offic.* c. 30.

apparet, quam graui ſuo damno aliis benefaciat. Quare eo ſubtilius videndum vt ſubleuetur neceſſitas, non vt expleatur cupiditas. Intelligendum eſt igitur duplicem eſſe poſſe egeſtatem in propinquis, vnam cum deſunt neceſſaria vitæ: alteram cum deſunt neceſſaria perſonæ. Vtrique igitur licebit, vt Cardinalis ſubueniat, non ſolum ſi propinqui non habuerint vnde viuant, ſed etiam ſi non habuerint vnde decenter viuant, & conuenienter loco, & conditioni ſuæ. Quare ſi nobilis familia, & olim honeſta, & copioſa, ad eam veniſſet inopiam, vt ea non ſuppeterent, quæ communiter habent ij, qui eiuſdem nobilitatis ſunt, tunc ſane fas eſſet Cardinali iacentem erigere atque etiam in priſtinum ſtatum reuocare, nimirum, vt ſumptus habeat congruentes ſuæ nobilitati. At vero ex hoc gradu eam extollere, & in alium eminentiorem transferre, præſertim ſi magna ſit diſtantia, hoc ſane non licet, idque prohibent eæ leges, quas ſupra protulimus. Illud fortaſſe Cardinalis amplitudini concedendum eſſet, ſi conſanguineos

guineos haberet plebeios, aut opifices, ita eos iuuare vt ad conditionem paulo lautiorem emergerent. Quod vero amplius eſt, nimium eſt, & omnino prohibitum. Immo vero hoc etiam monendus eſt Cardinalis, vt in eo ipſo quod egentibus ſuis benigne facit, meminerit non naturali amore propinquitatis duci ad benigne faciendum, ſed ſtudio Chriſtianæ charitatis. Nam qui hoc naturæ duntaxat affectu impellitur, perdit meritum apud Deum. Potius igitur quod facit, faciat ex vera charitate, vt ſit vera eleemoſyna, nec diuina mercede fruſtretur. Poſtremo ad hoc idem caput de propinquis illa quoque mala cõſuetudo pertinet, vt ſi quis Eccleſiaſticos aliquos redditus adeptus, ita negocium inſtituat, vt iis mature alteri conſanguineo ſemper reſignatis de manu in manum trãsferantur, ne vnquam ex domo illa exeant. Quod quid eſt aliud, quã quod in ſimili re, ait S. Bernardus in Pſalmo notari, cũ dicitur: Hæreditate poſſideamus ſanctuariũ Dei? Sic enim res Deo cõſecratæ, quæ ex merito, & electione tribuendę eſſent, fiũt fere hæreditariæ, *In vita S. Malach.*

atque perpetuæ. Quod quidem eo deterius est, cum, vt sæpe euenit, ad indignos, aut certe minus dignos perueniunt.

Quomodo Cardinalis nimium affectum in propinquos temperare possit.

CAPVT XXV.

NOn puto restare iam vlli dubitationem, quin haud parum à Cardinali peccetur, cũ Ecclesiasticas opes ad suorum statum amplificandum, illustrandumque confert. Sed superest, vt hoc quod rationi persuasum est, persuadeatur etiam voluntati. Est enim hic locus lubricus si quis alius, nec fere in alia re difficilius se tenere possunt Cardinales ne labantur; primum propter naturalem propensionem, quæ est omnibus innata erga sanguine iunctos, eoque magis, quo propius nos cognatione cõtingunt: deinde ob amorem etiam sui ipsorum. Nam vt quisque etiam post mortem se in sua posteritate viuere arbitratur,

ita

ita non se satis illustrem putat, nisi etiam posteros relinquat illustres. Postremo accedunt exempla aliorum, adeo iam multiplicata: accedit consuetudo tam inueterata, vt pene vim legis obtinuerit, & nemo fere sit, qui in via tam trita errare se à recta via existimet. Quare cum tam multi stimuli, & tam magna incitamenta concurrant, nil mirum si hæc pugna adeo difficilis, & laborioſa sit, etiam probis Cardinalibus. Sed tamẽ nihil est quod non æquitatis, & iustitiæ, & religionis amor superare debeat. Etenim si vere creditur quod à nobis superiori capite demonstratum est, offendi Deum, cur non hoc vnum sufficiat ad omnes ab re huiusmodi deterrendos? Nam si hoc gregarium quemlibet, & vulgarem Christianum mouere deberet, ne aliquid faciat contra Dei creatoris, & summi dominatoris rectissimam voluntatem, quanto magis eum, qui in ipso culmine omnis perfectionis versatur, idque statu, officio, & vestitu ipso profitetur. Recte autem S. Bernardus, & luculente huius culpæ indignitatem & peruersitatem, an- 4. *de con-* *sid.*

te oculos proponit, cum ita de Cardinalibus loquitur: Qui non, inquit, de dote viduæ,& patrimonio crucifixi,ſe vel ſuos ditare feſtinent. Viduam vocat Eccleſiam, quaſi orbam ſuo ſponſo Chriſto, qui in cœlum abiit, eius autem dotem facultates, quibus illa inſtructa eſt, quas etiam eaſdem patrimonium crucifixi appellat, quoniam hæc quoque bona Chriſti ſanguis adeptus eſt.ideoque idem ſanctus Bernardus alio loco,De altari, inquit, viuat, non ſuperbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec contra Sancti cuiuſdam plane dignam omni acceptione ſententiam, ex clericatu ditior fiat. Non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget,nec in vanitate, aut ſuperfluitate diſpergat, non extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos,aut neptes(ne filias dixerim) nuptui tradat.Simile eſt etiam,eãdemque vim habet, quod eſt apud Hieronymum:Amico quippiam rapere furtum eſt, Eccleſiam fraudare, ſacrilegium eſt, accepiſſe quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis,

Hom. ecce nos reliquimus.

Epiſt.2.

vel

vel cautum esse, aut timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Quid grauius, aut quid seuerius, magisque metuendum dici potuit? Sed est alia quoque ratio, quæ magnopere valere debet apud Cardinalem, propter ipsius commodum,& quidem magnum; Si enim hoc in animum inducet, vt superflua carnis, & sanguinis cura deposita, de se tantum, & de suo officio sollicitus sit, quanta tandem solicitudine, quantis molestiis semetipsum eripiet? Quam facile integritatem, innocentiam, iustitiamque seruabit? quam facile diuitiarum cupiditatem vincens, à muneribus temperabit? quoniam ipsi quidem satis pauca sufficient, iisque quasi vinculis solutus, ac liber, omnem suam cogitationem, ac meditationem in publica commoda conferre poterit. Si vero Fratribus, & Sororibus itemque eorum liberis,& omnibus denique qui gradum aliquem propinquitatis cum eo obtineant, dandũ, & largiendũ putet, dum id agitur, vt diuites, & pleni,& honorati relinquantur, fit,

vt desiderium habendi pene crescat infinite, quod præter alias culpas hanc etiam habet, vt ea cura alias omnes curas meliores, & huic officio necessarias prorsus absorbeat. Quare hoc omnino apud se constituere debet Cardinalis, nisi se carnali hoc affectu, vt debet, exuerit, semper, & ipsum, & omnes eius actiones carnales fore: contra vero si exuerit, & eiecerit, facillimum ei futurum, suam dignitatem ac splendorem tueri; Verum vt hoc efficiat, non ille terram, ac terrena respiciat, quæ sine dubio alliciunt, atque capiunt oculos animosque mortalium. Delectat enim videre suos in principum numerum relatos, honore, & rerum copia affluentes, delectant magnifici apparatus, & splendor vniuersæ familiæ, affinitates honoratæ, & matrimonia cum proceribus, Hæc sine dubio naturæ placent, & arrident. Sed si animus in cœlum, & cœlestia erigatur, facile despicientur hæc omnia. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Et quidē si quis sibi ipsi totū mundum

Matt. 16

acqui

acquireret , animam vero perderet, ſtultiſſimus eſſet, ac dementiſſimus. Quanto ergo dementior,qui eam perdit, aut periculo perdendi ſe exponit, non ob ſuam, ſed ob alienam vtilitatem ? Denique qui in hac parte errare nolit, oportet vt oculos à communi hominum more, & cõſuetudine auertat.Eſt enim nimis magna vis ad decipiẽdum in quotidianis aliorum exemplis. quoniam ita animos occupant,vt etiam ſi quid inſit vitij,neutiquam aduertatur. Quare tum ab his auertendi ſunt, vt dixi oculi , tum conuertendi in eorum exempla, quæ quidem nunquam in Eccleſia defuere,qui ſe ab hoc affectu integros , & incorruptos præſtiterunt. Cœleſtinus V.vt narrat Aluarus , cum audiſſet fratris filium in Curiam veniſſe, eiici ſtatim iuſſit , & cum multi Cardinales deprecatores ſe interpoſuiſſent , multo labore , & precibus , hoc ad ſummum impetrarunt,vt ei ſimplex, ac tenue quoddam beneficium concederet, quo ille accepto,ſtatim remiſſus eſt domum. Ac ne quis hæc nimis vetera dicat , & obſoleta , extitit etiam noſtris fere tẽpori-

2. lib. de plãct. eccleſ.c.15.

bus memorabile factum. Adriani Sexti, quem in propinquos vniuersos, ita moderatum fuisse ferunt, vt etiam quibusdam durior videretur. Nam patruelis filium in Senensis Gymnasio litteris studentem, quod non vocatus, Romam venisset confestim meritorio equo impositum remisit, & alios satis arcta affinitate coniunctos, qui ex Germania ad eum accurrerant, cum singulis sagum laneum, & mediocre viaticum donasset, pedibus irem vti venerant, reuerti iussit. Quid Marcellus, qui etsi pauciſſimis diebus Pontificatum tenuit, tamen hoc breui tempore specimen præbuit eius virtutis, quam deinceps sine dubio tenere decreuerat. Hic enim Pontifex factus neminem suorum Romam venire passus est, ne fratrem quidem Alexandrum, cuius etiam filios duos quos ipse Romæ educabat, à nemine salutari, raro in publicum, nec nisi ad sacrum fere audiendum prodire permisit. Narrat etiam Onuphrius, qui fuit ei familiarissimus, eiusque intima consilia norat, fuisse ei deliberatum, & fixum, tantum fratri, eiusque liberis elargiri,

elargiri, quantum nobili alicui, eo loco nato habere conueniret, non tamen vt vltra priuatam conditionem se efferrent, nec ad vllam proueherentur dignitatem. immo vero de Ecclesiæ fructibus, ne assem quidem donare constituisse, nisi ex Cardinalium omnium sententia. Sed nihil illustrius Clemente Quarto, qui anno MCCLXV. Ecclesiæ Pastor electus hanc eandem constantiam admirabiliter tenuit. Sic enim memoriæ proditum est, eum duas habuisse filias ex legitimo matrimonio susceptas, quarum alteri, vt in Monasterio collocaretur, triginta libras Turonenses, alteri vt nuberet trecentas numerari iussisse, ea lege, vt æqualis conditionis viro nuberet. Quin etiam cum nepotem haberet, cui ipse quidem nihil vnquam dederat, sed Galliæ Antistites in gratiam Pontificis tres contulerant in eum Canonicatus, multis deinde rogantibus, vt aliqua eum dignitate cohonestaret, non modo nunquam adduci potuit, vt id faceret, sed eum vltro compulit, vt ex tribus illis beneficiis, vnum quod mallet retineret, reliqua

resignaret. Verum hoc quoque iucundū fore,& fructuosum spero, si ipsam eius Epistolam,siue,vt vocant, Breue, ad nepotem Petrum Grossum,ascribamus, quod aliquanto post eius obitum in cœnobio Dominicanorum Barchinonensi repertum est. Id autem sic habet: Multis de nostra promotione gaudentibus, nos soli sumus, qui certius immensitatem oneris experimur. Et idcirco quod aliis gaudium, nobis metum subministrat, & fletum. Sane vt scias, qualiter his auditis, debeas te habere,scire te volumus,quod humilior solito debes esse,neque enim quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maxime cum honor huius sæculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus. Nec ad nos te,nec Fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus, sine nostro speciali mandato:quia spe sua frustratus, si secus venire præsumeret, oporteret vt rediret confusus. Sed nec in sororis tuæ nuptiis gradum quæras propter nos altiorem : nec enim nos haberes propitios,nec in aliquo adiutores. Si tamen eam filio

militis

militis ſimplicis deſponſaueris, in trecentum libris Turonenſibus tibi proponimus ſubuenire. Et ſi altiora quæſiueris, nec à nobis denarium ſperes vnum. Et hoc ipſum ſecretiſſimum eſſe volumus,& tibi & matri ſolúmodo notum eſſe. Illud etiam ſcias,quod nullum, nullamque de ſanguine noſtro,ſub noſtræ ſublimationis obtentu inflari volumus, ſed tam Mobiliam, quam Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent ſi eſſemus in ſimplici clericatu. Sibyllam viſita, & dic ei quod loctum non mutet,ſed remaneat apud Suſam, & omnem maturitatem,& habitus honeſtatem obſeruet,& preces apud nos pro aliquo non præſumat aſſumere,nam & ei pro quo fierent, eſſent inutiles, & ipſis qui rogauerint, damnoſæ.Et ſi forte per aliquos ex hac cauſa munera offerrentur, ea reſpuat,ſi vult noſtram gratiam retinere. Saluta matrem & fratres. Hæc ille;cuius auctoritas vt Pontificis, in tantis opibus & poteſtate, multo magis Cardinalem de ſuo officio commonere debet.

Mihi vero illud etiam hoc loco vel maxime

maxime notandum videtur, quod ex huius Pontificis quem modo dixi, & aliorum, qui idem fecerunt, exemplo euidenter apparuit. Nam cum ij, qui cognatos, & propinquos ita prouehunt, ob humanæ gloriæ illecebram id faciant, satis hinc discimus, multo hos glorioſiores factos esse ob hanc ipsam continentiam in suos, quam tot alios qui in hoc genere effusi fuere. Nam illi quidem tali facto, & tali virturis indicio ita se etiam in hac vita nobilitarunt, vt non solum tacita hominum admiratione suspiciantur, sed etiam æterna cum laude, iucundaque cõmemoratione, in omnium ore versentur, quod certe tamdiu erit, quãdiu erit Ecclesia. Contra vero qui cognationis amore victi in suos efferendos incubuere, quoniam ea res non virtutis est, sed potestatis, nihilq; per se præclarũ habet, nec ab vllo propterea laudantur, & à multis, iisque sane melioribus vituperantur. Immo verò ne illud quidem quod volebant, assequuti sunt, vt familias suas inter homines, quã celeberrimas redderẽt. Etenim ex tot Cardinalibus opulentis, qui hoc ipsum

ipſum ſummo ſtudio curarunt, quàm paucæ iam ſuperſunt familiæ illorum opera locupletatæ,& adauctæ?ſed cõtra potius eorũ quoque domos extinctas,titulos obliteratos,memoriam ſepultã videmus;eaque iuſta & vera videtur pœna, vt qui nomina ſua in terris ſuis ponere voluerũt, etiam ex ipſa terra eradantur, eorũque domus breuiſſimo tẽpore aliæ aliis caſibus ad nihilum recidant. Quare hoc diligenter conſiderare debes frater chariſſime, idẽque tibi euenire poſſe exiſtimare.

Quid Cardinalis ſeruare debeat erga alios Cardinales.

CAPVT XXVI.

INter alia Cardinalis officia, hoc quoque non mediocre, ac potius ex præcipuis eſt, quẽ ſe præſtare debeat erga alios Cardinales. Hactenus enim de inferioribus dictum eſt, tum remotis, tũ propinquioribus, vt ſunt domeſtici, multoque magis cognati, & affines. Nunc de iis, qui dignitate æquales, officio

officio collegæ, coniunctione fratres ei sunt, sequitur vt dicamus. Ac de iis quidem nihil est ferme aliud dicendum, nisi quod vno verbo monet Hieronymus Manfredus, debere omnes inter se esse quàm coniunctissimos vinculo insolubili beneuolentiæ, & pacis, in procurando communi bono. Quamobrem dissentiones, animorum alienationes, æmulationes, & reliqua eiusmodi quæ concordiam dirimunt, charitatem extinguunt, cum ab omnibus Christianis, tum vero ab hoc amplissimo ordine abesse debēt quàm longissimè. Primum quia perfectionem profitentur, charitas autem est vinculum perfectionis. Deinde omnis inter eos rixa, & iurgium, aut etiam contentio eo deformior est, quo plures causæ necessitudinis, & concordiæ. Nam si similitudo amorem solet conciliare, quam multæ hic similitudines, professionis, stat⁹, dignitatis, potestatis, suffragij, denique ipsius etiam habitus externi? Sed illud odiosum, quod multæ sæpe causæ incidunt discordiarum, ex negociorum varietate, ac magnitudine, quæ à Cardinalibus tractari

Tract. de Card. c. 10.

Coloss. 3.

tractari solent: in quibus sæpe accidit, vt non idem omnes sentiant, vel non idem expediat omnibus, aut contra, vt idem pluribus commodum sit, quod tamen non possint plures adipisci: deinde ex honorum contentione, qua nulla est maior pestis ad oppugnandam charitatem. Nam quid ego dicam de illo perenni fonte dissidiorum, de more, inquam, illo, qui iam adeo increbuit, vt quicunque vnius Pontificis partus sunt, ij quasi factionem suam constituunt? ex quo sectæ quodammodo oriuntur, & partes, vt vnus ordo in tot membra diuisus, & dissectus esse videatur. Et quidem membra, quæ non vt in corpore animantis mutuo sibi seruiant, sed sæpe pugnent inter se, atque decertent? Atque hoc quidem illud esse videtur, quod Paulus in Corinthiis reprehen- 1. Cor. 1.
dit, quod inter eos essent schismata, cum alius diceret: Ego sum Pauli, alius autem Apollo, alius Cephæ. Quamobrem in hoc etiam cadit illa eius obiurgatio: Diuisus est Christus? Nam si omnes Christo Domino seruire, seque Christi esse vellent, nimi-

rum

rum facile omnes essent charitatis vinculo colligati. Igitur tum hæc radix dissensionis, tum omnes aliæ tollendæ, euellendæque radicitus, illudque omnino tenendum, vt se inter se diligant ex animo, seque mutuis prosequantur officiis, non in speciem simulatis, sed veris, & solidis. & denique vt sit inter omnes quoad eius fieri potest, quàm maxima voluntatum, studiorum, sententiarumque consensio. Quod vt melius, & verius faciant, illud cogitent, quàm grauia damna, quamque magna detrimenta sequi necesse sit, non dico si aperta fuerint inter eos dissidia, sed etiam si æmulationes occultæ, ac denique si minus inter sese consentiant. Vt enim cum multi ingens aliquod pondus humeris deferunt, vel manibus trahunt, tantum videlicet promouebunt, quatenus vnum inter se omnes efficiunt, atque conspirant. quod si paululum aliquis dissideat, aut in diuersum declinet, potius alios impediet, quàm adiuuabit, ita in hoc præclarissimo munere Ecclesiæ administrandæ, quod est proprium Cardinalium munus, si aliqua inter eos

obre

obrepat diſcordia, vt alius alio trahat, ſeſe inuicem turbabunt atque Eccleſiæ, eiuſque vtilitatibus oberunt, & maximas ei plagas imponent. Quare ſi ij ſunt, qui eſſe debent fideles Dei, Eccleſiæque miniſtri, etiam ſi aliquæ interdum occurrant cauſæ, pacis concordiæque ſoluendæ, meminerint tamen communem vtilitatem ſuis vtilitatibus anteferre, ſeque vincant, & ſuas iniurias Reipublicæ donent. Poſtremo illud etiam pro magno quodam præſidio ad tuendam charitatem accipiant, vt idem ſit omnibus propoſitum, nempe publicum bonum, & vnius Dei honor, atque obſequium. Nam ſi quiſque quod ſibi vtile, aut commodum eſt ſpectabit, omnes quidem ad ſeſe rem trahent, ex quo neceſſe eſt naſci magnas varietates voluntatum, & opinionum diſſimilitudines, quæ cum aliquandiu, fronte, & vultu occultatæ fuerint, tandem neceſſe eſt, vt prodeant, atque erumpant, & offenſiones grauiores pariunt, quæ in dies nouis occaſionibus recrudeſcant. Contra verò ſi omnes ſuis commodis,

vt de

vt debent, posthabitis, vnum Sanctæ Ecclesiæ commodum cogitabunt, nulla erit dissentiendi causa, nulla materia, quoniam omnibus idem erit animus, eadem voluntas. Quare huic etiam rei, tam salubri, tamque necessariæ vtile est studium illud, de quo supra egimus, vt omnibus cupiditatum radicibus euulsis Cardinalium mens ad solum DEI obsequium dirigatur.

Quomodo Cardinalis debeat se gerere erga Summum Pontificem.

CAPVT XXVII.

REstat vt videamus, quales esse, & quid facere oporteat Cardinales erga Summum Pontificem: quod melius intelligetur, si videamus quam cum illo habeant coniunctionem. Tantam vero habent, vt vix maior esse possit. Videmus enim in sacris Canonibus eos filios vocari. Nam etsi fideles omnes Pontificis filij dicuntur, quoniam videlicet eius locum tenet, qui

c. felicis. de pœnis in 6.

qui communis est omnium pater ; tamen præcipuo quodam modo id Cardinalibus conuenit , & merito , cum præcipua sint pars Ecclesiæ. Quin etiam quod maximum est , eiusdem Pontificis membra vocantur , vnumque cum ipso corpus efficiuntur. Sic enim tum alij, tum Andreas Barbatius in eo libro , quem inscripsit de præstantia Cardinalium. Quæ autem maior , arctiorque cogitari potest coniunctio ? Sunt præterea adiutores Pontificis , quod à nobis abundè supra est demonstratum , & in quodam Canone ab Innocentio Tertio indicatur , vbi eos vocat suos coadiutores in exequutione Sacerdotalis officij. His igitur positis facilè est videre , quid ij debeant vniuersæ Ecclesiæ præsidi suoque ipsorum capiti,ac parenti. Primum enim ait Hostiensis, obligari eos vt plus quam alij omnes eum diligant, & obseruent, eique obedientiam præstent, additque nisi id faciant, grauius peccare quàm alios. Quod autem hic ait de hac præcipua obedientia, idem confirmat Iacobatius Cardinalis , qui ita eos docet subditos , atque vt ipse

1. *par.q.* 11.

c.per venerab. rationibus qui filij sint leg.

In cap. antiqui de priuileg.

Lib.1. de Concil. nu.176.

loqui

loquitur, inuiſceratos eſſe Pontifici, vt ſine eius facultate non poſſint loco ſe mutare. Immo vero addit (quod in aliis etiam Scriptoribus legimus) id veteri inſtituto obſeruatum eſſe, vt Pontificis iniuſſu non liceret eis vrgente morbo ſanguinem mittere, quod etiam confirmat auctoritate eiuſdem Hoſtienſis alio quodam loco. Ex quo vno argumento conſtare poteſt, quanta eſſet olim, & quæ ſemper eſſe debeat Cardinalium obſeruantia, & obedientia in Summum Pontificem. Atque hanc quoque ob cauſam, debent eius curiæ perpetuo aſſiſtere, neque ex ea exire eis licet, niſi facta à Pontifice poteſtate, idque tradit celeberrimus ille inter Doctores canoniſtas Ioannes Andreas. Addit Gondiſſaluus non debere Pontificem concedere, vt abſint à curia, niſi ex cauſa neceſſaria, & ad Eccleſiæ vtilitatem pertinente. Hæc autem ratio eſt Auctore Martino Laudenſi, cur Cardinales, etiam ſi aliquibus fruantur beneficiis, quæ alioquin reſidentiam requirerent, ipſi tamen excuſentur, quia, inquit, cum Papæ aſſiſtant, & vtilitatibus totius

In c. Ecclesia vestra 2. de elect.

In eodem c. de Car. q. 5.

Tract. de Card. q. 5.

Eccle

Ecclesiæ seruiant, censentur etiam seruire singulis Ecclesiis, quoniam Romana Ecclesia omnium mater est, & magistra. Cæterum quàm deinde fideles esse debeant DEI Vicario summoque omnium Pastori, etsi res ipsa indicat, tamen illud etiam argumento est, quod vetus erat consuetudo, vt Episcopi cum crearentur, Sacramento fidelitatis adigerentur Pontifici, Cardinales non item, nisi ipsi etiam essent Episcopi, idque propter Episcopatum, redditque rationem Gondissaluus, quia sunt, inquit, ipsius membra, atque vt nemo à se in seipsum promissionem vllam exigit, sic neque Pontifex à suis membris. Postea tamen, idque non ita pridem, hoc etiam more receptum est, vt ipsi quoque Cardinales hanc fidelitatem interposito Sacramento profiteantur. Quod iam in vsu esse videmus. Ex quo intelligi potest quantum etiam hæc adaucta sit obligatio, duplicato iam vinculo ex promissione iurata. Quamobrem bene etiam de hoc ipso Hieronymus Manfredus, Debent, inquit, quàm coniunctissimi esse

De Cardin. q. 5. num. 15.

De Cardin. c. 10.

esse cum Summo Pontifice, eique in omnibus subiecti esse, & parere, vt membra capiti suo, nec proteruè ei contradicere, temeritate, aut superbia, aut studio contradicendi, maiori enim nexu cum illo coniuncti sunt, quàm quilibet alius cuiuscunque generis. Quare debent continuè ei assistere, consilium dare, opem ferre, affectibus spoliari, veritatem solam præ oculis habere. Igitur si omnia breui colligere volumus, duplex esse inueniemus Cardinalis officium aduersus Pontificem, alterum quod in animo consistit, nimirum in amore, in pietate, in reuerentia quadam germana, atque sincera, alterum quod etiam ad facta pertinet, quæ in summa illuc omnia spectant, vt Pontificem in tanto onere subleuent. Nam si verum est, quod paulo ante attigimus, & alibi vberius confirmauimus, Cardinales esse adiutores Pontificis: quid sequitur, nisi vt omnem eius curam, suam etiam curam esse existiment? Itaque vt Pontificis, sic etiam ipsorum partes sunt vigilare pro grege Domini, excubare animo, prouidere præsentia,

ac fu

ac futura Eccleſiæ,vel ſingularum eius partium incommoda, & plagas,iiſque remedium ſalubre & aptum excogitare. Sed hoc intereſt, quod hæc diiudicare, & exequi ad Pōtificem pertinet, cui gubernatio, & poteſtas commiſſa eſt, ipſorum autem eſt monere, ſuggerere, referre, quæ opportuna videantur, denïque ea facere quæ S. Bernardus in Epiſtola quadam ad vniuerſum Cardinalium Collegium, monet & vrget, vt faciant aduerſus Eugenium. Veſtra intereſt, inquit, cariſſimi, veſtris feruentibus ſtudiis, fidelibuſque obſequiis ſolicitè confouere, quod manibus veſtris conſtat elaboratum. Si qua ergo conſolatio in vobis, ſi qua virtus charitatis in Domino, ſi qua compaſſionis viſcera, aſſiſtite, & collaborate illi in opere, ad quod per vos aſſumptus eſt à Domino. Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcumque amabilia, quæcunque bonæ famæ, hæc ei ſuggerite, hæc ſuadete, hæc agite, & DEVS pacis erit vobiſcum. Sapienter Bernardus duo hæc Cardinales monet, vt Pontifici pro- *Epiſt.* 236.

ponant, tum quæ iusta, & sancta sunt, tum etiam quæ bonæ famæ. Hoc enim est boni Consiliarij officium, idque etiam docet S. Gregorius cum ita ait: Qui assistunt iudicibus, & sinceris erga eos dilectionibus obstringuntur, illa eis suadere debent, atque suggerere, quæ & animam saluent; & opinioni eorum nō derogent. Quare vtrumque sanè curandum, & studendum Cardinali, sed si aliquid aliquando contingat, in quo alterutrum teneri non possit, illud præferri debet, quod tanto interuallo maius est, vt potius saluti seruiat, quàm hominum existimationi. Sed in hac re multi omnino lapsus occurrunt. Sunt enim interdum, qui cum Pontificis animum in aliquam partem inclinatum vident, ob metum offensionis non audent loqui quæ sentiunt, potiusque prætextus aliquos inducunt ad eius iudicium approbandum, qua simulatione nihil potest esse deterius. Nam etiam in quouis homine vitiosa esset, multo vero turpior, & iniustior in iis, quos pro suo officio, ac munere veritatem profiteri oportet. Itaque Al-

Lib. 4. Epist. 29.

uarus

uarus quidem tum in aliis ait peccare posse Cardinalem, tum hoc primo loco commemorat: Cum, inquit, vel gratia Papæ, vel timore, aut spe alicuius rei consequendæ, non dant ei vera, & libera consilia, sed fraudulenta, & periculosa tum ipsis, tum aliis, & omnino contra conscientiam. Neque hæc tantum Theologorum est sententia, sed etiam Iurisperitorum. Sic enim Manfredus idem, de quo paulo ante, Cardinales, inquit, liberè Pontifici consilium dare debent, eumque admonere de cunctis vtilibus, & necessariis negociis Sanctæ Ecclesiæ, quantum in ipsis est, veritatem inquirendi, iustitiam, æquitatemque continuè præ oculis habentes, amota omni adulatione, tanquam verè cardines Ecclesiæ Deo accepti. Quare si Pontifici applaudunt, non est profecto è dignitate, atque officio eorum, & periuri statim haberi debent, immemoresque eorum, quæ polliciti sunt, cum ad tantam dignitatem eliguntur. Gondissaluus verò, tum hoc idem confirmat, tum etiam addit, ipsam quoque imprudentiam in

2. de planet. Ecc. c. 16

Tract. de Car. c. 7.

De Car. c. 7.

Digitized by Google

Cardinali non esse sine culpa, nempe vt in Medico, aut in Iurisconsulto inscitiam eius artis quam profitentur. Eius verba hæc sunt: Debent, inquit, cauere, ne male consulendo Papam errare faciant, quia ita delinquit consulens, vt faciens: idque non solum si scienter, sed etiamsi per inscitiam male consuleret, quia admittendo hoc officium, quod principaliter versatur in consilio dando, videntur profiteri se esse peritos, & sufficientes ad illud. Vnde fit, vt merito eis imputetur, si aliquid postea per imperitiam faciant. Denique hoc etiam eorum officium recte describitur in] sacro quodã Canone his ipsis verbis: Decet ipsi Romano Pontifici per fratres suos Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui sibi in executione officij Sacerdotalis coadiutores assistunt, libera prouenire consilia. Vt fratres ipsos nullus sæcularis potestatis metus exterreat, nullus temporalis fauor absorbeat, nihil eos à veri consilij, soliditate remoueat, quia cum per ipsum Romanum Pontificem in quibuscunq; negociis contingeret eorũ peti consilia, in consulendo

c. fundamenta c. decet de elect. in 6.

ſulendo per omnia liberi, in omnibus quæ pro tempore imminent, libere conſulant,& aſſiſtant. Hæ ſunt igitur partes boni,& veri Cardinalis, his ille officiis īuigilare ,his delectari, atque ea,& rei,& honori,& vitæ ipſi præponere debet. Hi etiam ſunt optimi colores, quibus S. Bernardus Cardinales deſcribit,cum Eugenium Pont. ira optantem,& ita loquentem inducit:O ſi viderem in vita mea Eccleſiam Dei talibus innixam columnis.O ſi Domini meï ſponſam cernerem tantæ commiſſam fidei, tantæ creditam puritati. Quid me beatius,quidue ſecurius, cũ eiuſmodi circa me vitæ meæ, & cuſtodes ſpectarẽ,& teſtes ? Quibus omnia mea ſecreta ſecure committerẽ, communicarem conſilia,quibus me totum refunderem tanquam alteri mihi. Qui ſi vellem aliquatenus deuiare, non ſinerent, frenarent præcipitem, dormitantem excitarent.Quorum me reuerentia, & libertas extollentem reprimeret, excedentem corrigeret. Quorum me conſtantia, & fortitũdo nutantem firmaret,erigeret diffidentem. Quorũ me fides,& ſanctitas, ad quæ- *Lib.4. de conſid.*

que ſancta, ad quæque honeſta prouocaret. Hæc S. Bernardus, quæ breuiſſime, ſed prudentiſſime dicta ſuum cuique Cardinali officium erga Pontificẽ ante oculos ponunt, vt non ſolum ita cum eo charitate, & familiaritate coniuncti ſint, vt arcana quæuis credere eis audeat, ſed eam quoq; libertatem, ac ſinceritatem exerceant, vt ſi quando velit, à recto deflectere non ſinant; ſi quando negligenter, ac remiſſe ſe gerat, excitent; ſi nimia præcipitatione feratur, retineant; & in ſumma in omni re, & omni tempore opportuno bonos ſe, & ingenuos, ac fideles monitores præſtent.

De ſententia in Conſiſtorio dicenda.

Caput XXVIII.

ET ſi ex his quæ dicta ſunt de fide, & libertate à Cardinalibus præſtanda in priuatis conſiliis, ſatis intelligi poteſt, eandem etiam præſtandam in conſiliis publicis, tamen de hoc quoque aliquid ſeparatim dicendum putauimus. Solet enim in hoc etiam eſſe

esse multo maior difficultas, quoniam cum priuatim agitur cum Pontifice, solus eius respectus impedire potest. cum autem publice sententia dicenda est, tum hic ipse respectus multo magis valet, tum deinde multorum etiam aliorum ratio haberi solet, vt Principum vel cæterorum Cardinalium, ne offendantur. Quare hac etiam ex parte muniendum est Cardinalis pectus. Munitur autem, & quodammodo armatur iis virtutibus, quas supra descripsimus, & in primis fortitudine, despicientia rerum omnium humanarum, tum Dei amore, & illa recta mente, atque intentione, de cuius necessitate, & splendore multa disseruimus. Atque vt hæc asciscenda, sic illa fugienda sunt, quæ animum occupare, rectumque iudiciũ euertere solent, vt timor, odium, cupiditas habendi, & in primis ambitio, quæ plane omnem eripit libertatem. Qui vero nihil cupiat, nihilq; aliud velit, nisi Deo placere, & vitam æternam, cuius causa omnes creati sumus, adipisci, ille nullo labore semper constantiam quam debet in dicendo tuebitur.

Sed tamen vt certius, & clarius conſtet, quid in hoc genere ſalua cõſcientia fieri poſſit, aut non poſſit, à Cardinali, libet hanc omnem materiam quibuſdam quaſi pronunciatis explicare. Primum igitur hoc ſit: Cum nullum impendet malum, nec eſt ratio timendi vllum ab vllo incommodum, tum quidem debet Cardinalis dicere quod ſentit, nec aliter ei fas eſt. Atque hoc conſtat inter omnes, nec ab vllo in cõtrouerſiam vocatur. Alterum deinde eſt paulo durius. Quicquid mali, quicquid incommodi inſtare videatur, nunquam licet falſum dicere, aut aliter quam quiſque ſentiat, hoc eſt probando quod probandum non putet, aut contra improbando, quod rectum eſſe iudicet. Atque hoc quidem ita intelligitur, vt nec aperte, nec tacite liceat, tacite approbatur aliquid aſſurgendo, aut aliquo eiuſmodi ſigno exhibendo, quod communiter ita accipi ſoleat. Hoc igitur nunquam licet. Tertio ſi malum, quod ſibi Cardinalis timeat, graue ſit, malum quod pro veritate tacenda Eccleſiæ impendeat, leue, poteſt Cardinalis ita ſe gerere, vt

neque

neque aſſentiat,neque diſſentiat,nimirum vtẽdo verbis ambiguis, ſic tamen vt non intelligatur probare.Hoc enim paulo ante diximus non permitti vnquam,vt quiſpiam loquatur, ſecus ac ſentit. Atque hoc etiam tempore liceret ſane continere ſe domi, nec in Conſiſtorium venire, aliquo quæſito prætextu. Quartum ac poſtremum, in quo rei cardo conſiſtit,illud eſt. Cũ graue Eccleſię damnum imminet,tum vero quodcunque malum ſubeundum ſit, ſemper expromenda eſt ſua cuique ſententia. Itaque in huiuſmodi rebus nullus eſt diſſimulationi locus, non tacendo, non dubie loquendo, non fugiendo Conſiſtorium.Sed clare, & libere, cum ea tamen qua decet modeſtia,ac reuerentia,repugnandum eſt. Atque huius rei ratio ea eſt,quoniã in hoc differt officium charitatis ab officio iuſtitiæ, quod illud omitti poteſt cum proprium damnum timetur, aut nullus fructus ſperatur, vt in fraterna correctione. Qui vero inſuper ex iuſtitia obligatur etiã cum proprio detrimento, etiam nulla ſpe fructus,tamen debet officio fungi,

neque id poteſt omittere item vt Epiſcopus in monendis, aut corripiendis ſubditis. Tale eſt igitur officium conſiliarij, & talis præſertim cõſiliarij, qualis eſt Cardinalis, cuius muneri tanta merces, tantum ſtipendium honoris, diuitiarum, & omnium commoditatũ propoſitum eſt, cui Eccleſia vniuerſa hanc quaſi vigiliã impoſuit. Vere igi-
De Car. q. 5. tur de hoc ipſo Gondiſſaluus. Quãdo, inquit, vident aliquid tendere in perniciem Eccleſiæ, vel alias eſſe iniuſtũ, tacere non debent, ſed expreſſe contradicere, alioquin peccant. Nam cum ad hoc aſſumpti ſint, vt recte conſulant, tacentes hoc caſu cenſentur approbare, id quod agitur, & error cui non reſiſtitur, approbatur. Tractat etiã accurate hanc ipſam quæſtionem Hie-
De Car. q. 10. ronymus Albanus, & quidem rationes primum affert in contrariam partem, præſertim cum maior pars contra ſenſiſſet, quia fruſtra iam diſſentiatur. Itaque valere hic illud dictum, fruſtra niti, & odium quærere, dementia magna eſt. Præterea poſſe, fortaſſe etiam debere vnumquemque id rectum, ac bonum putare, quod placuit maiori parti.

ti. Superbum enim,& arrogans videri, vt audeat aliquis ſuum iudicium aliorum tam multorum iudicio præferre.Hęc pro iſta parte:ipſe tamen alteram confirmat ſententiam, non licere Cardinalibus veritatem reticere, ob eandem rationem,quã ſupra nos quoque attulimus,quia cum ſint cõſiliarij, diſcedunt ab officio, niſi dent fidele conſilium. Addit etiam ſimile quiddam videri in teſte, qui quoniam pro officio veritatem indicare debet, haud ſecus proditor veritatis cenſeatur, ſi verum reticeat, ac ſi falſum enunciet. Affert etiam Abbatis, & Innocentij auctoritatẽ,qui aperte docent,in quouis capitulo, & conuentu quicunque eius pars ſit,ita obligatum eſſe, vt cum aliquid proponitur, quod ſit contra communem vtilitatem, libere loquatur,totiſque viribus quantum in eo ſit reſiſtat, aliter autem peccare. Ex quo argumentari poſſumus,quanto id magis valeat in hoc Collegio Cardinalium, in quo & maior eſt dignitas, & maiora tractantur negocia, magiſque cum publico bono,damnoue coniuncta. Quare illud hic cõuenire videtur

In c.1. de his quæ fiunt à mai.par. cap.

Exod.18. quod in Exodo dicitur: *Prouide de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas.* Quomodo autem in iis ſit veritas, qui eam opprimi, conculcarique patiuntur? Hęc omnia Albanus, qui contrariis etiam argumentis ita reſpondet. Nam quod obiicitur, fruſtra diſſentiri, cum iam maior pars Cardinalium aliter ſenſit, potius ſperandum eſſe alios etiam veritate audita ſuam mutaturos ſententiam, quoniam ea veritatis vis eſt, vt denique omnia vincat. Quod autem additur de deponenda propria ſententia cum plures aliter ſentiunt, verum eſt, poſteaquam quid tu ſentias, & quare ita ſentias expoſueris. Nam ſi his auditis, nihilominus plures in contraria parte fuerint, tum vero decet ita exiſtimare, potius decipi paucos, quam multos. Sed ſunt alij, qui ad tegendum timorem vel cupiditatem ſuam, illam afferant rationem, ſæpe Pontifices de eo ipſo quod in conſultationem adducunt, iam conſtituiſſe, ac propterea etiam ſi contradicatur, nullum omnino fructum ſequuturum. Cui nos reſpondemus, quanquam ille

eſſe

effectus, de quo agitur, non consequatur, alias tamẽ vtilitates esse certas. Primũ quia Pont: fex ipse in similibus rebus considerator fiet, cum videat non deesse, qui audeant pro bono cõmuni, esseque id magnum frænum summæ potestatis, cui facillime obrepit licẽtia. Deinde alij etiã Cardinales eiusmodi exẽplis animosiores, fortioresque fiũt, vt sæpe in pugna qui fugiebant, vnius audacia, ac robore, reuocãtur, viresque & animum sumunt. Denique si nihil aliud, Cardinalis quidẽ, qui hoc facit, officiũ suum facit: quod si deinde alij impediunt, ipse certe culpa vacat, qui sane est fructus conscientiæ vel maximus. Huc etiã pertinet illa speculatoris parabola, de qua est apud Ezechielẽ, qui si gladium videns venientem nõ insonuerit buccina, quicquid dãni sequutum fuerit, de eius manu requiritur. Sin autem ipse cecinerit buccina, sed quispiã negligentia sua, quia se non custodiuit, perierit, sanguis eius super ipsius caput. Speculator autẽ innoxius manet. Sic enim omnino dicere possumus, Cardinales omnes quosdam esse speculatores domui Israël datos, id est Ezec. 33.

Sanctæ

Exod.18. quod in Exodo dicitur: *Prouide de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas.* Quomodo autem in iis ſit veritas, qui eam opprimi, conculcarique patiuntur? Hęc omnia Albanus, qui contrariis etiam argumentis ita reſpondet. Nam quod obiicitur, fruſtra diſſentiri, cum iam maior pars Cardinalium aliter ſenſit, potius ſperandum eſſe alios etiam veritate audita ſuam mutaturos ſententiam, quoniam ea veritatis vis eſt, vt denique omnia vincat. Quod autem additur de deponenda propria ſententia cum plures aliter ſentiunt, verum eſt, poſteaquam quid tu ſentias, & quare ita ſentias expoſueris. Nam ſi his auditis, nihilominus plures in contraria parte fuerint, tum vero decet ita exiſtimare, potius decipi paucos, quam multos. Sed ſunt alij, qui ad tegendum timorem vel cupiditatem ſuam, illam afferant rationem, ſæpe Pontifices de eo ipſo quod in conſultationem adducunt, iam conſtituiſſe, ac propterea etiam ſi contradicatur, nullum omnino fructum ſequuturum. Cui nos reſpondemus, quanquam ille

eſſe

effectus, de quo agitur, non consequatur, alias tamẽ vtilitates esse certas. Primũ quia Pontifex ipse in similibus rebus consideratior fiet, cum videat non deesse, qui audeant pro bono cõmuni, esseque id magnum frænum summæ potestatis, cui facillime obrepit licẽtia. Deinde alij etiã Cardinales eiusmodi exẽplis animosiores, fortioresque fiũt, vt sæpe in pugna qui fugiebant, vnius audacia, ac robore, reuocãtur, viresque & animum sumunt. Denique si nihil aliud, Cardinalis quidẽ, qui hoc facit, officiũ suum facit: quod si deinde alij impediunt, ipse certe culpa vacat, qui sane est fructus conscientiæ vel maximus. Huc etiã pertinet illa speculatoris parabola, de qua est apud Ezechielẽ, qui si gladium videns venientem nõ insonuerit buccina, quicquid dãni sequutum fuerit, de eius manu requiritur. Sin autem ipse cecinerit buccina, sed quispiã negligentia sua, quia se non custodiuit, perierit, sanguis eius super ipsius caput. Speculator autẽ innoxius manet. Sic enim omnino dicere possumus, Cardinales omnes quosdam esse speculatores domui Israël datos, id est

Ezec. 33.

Sanctæ

Sanctæ Ecclesiæ in cuius arce positi sunt, vt prouideant, atque etiã denuncient quibus oportet, atque in primis ipsi Pontifici, tum bona quæ prodesse, tũ mala quæ obesse possent communi saluti. Quare si id impigre ac strenue, nulloque cuiusquã respectu fecerint, etiã si ab aliis non audiantur, saltẽ ipsi animam suam liberant. Sin vero tacuerint, aut dissimularint, non abibunt impune, quia in eo ipso delinquunt, quod maxime ab ipsis exigitur. Quamobrem recte hic quoque conuenit, quod est à S. Gregorio dictum: Sępe rectores improuidi humanã amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt, & iuxta veritatis vocem, nequaquam iã gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorũ vice deseruiunt, quia veniente lupo fugiunt, dũ se sub silentio abscõdunt. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat dicens: *Canes muti non valentes latrare.* Neque vero vbi de honore Dei agitur, propria sunt timenda dispendia, cum ipsum dispendium pro Dei causa magnũ sit lucrum, quoniã vt testatus est Saluator, *Beati qui propter iustitiam per-*

2. *past. c.* 4

Ioan. 10.

Esai. 56.

Matt. 5.

sequu

sequutionem patiuntur. Quod etiã monent sacri Canones cum ita hortãtur: Nolite timere eos qui occidũt corpus, ne forte timore mortis perterriti libere nõ dicatis. Et melius est pro veritate supplicium pati, quam pro adulatione beneficiũ adipisci. Ac postremo ad hãc culpam augendam, illud etiam afferendum, quod eodẽ loco, quem supra attuli, tangit Albanus, quicunque Cardinalis recta consilia non dederit Pontifici, præter peccatum quod committit, insuper etiam damnandum esse ad restitutionem omnis damni, quod ex eius consilio existat. Et pro hac sententia Innocentium quoque affert. Quare hoc positum, & confirmatum sit, nihil ita decere Cardinalem, aut nihil ita proprium esse eius officio, atque hanc sinceritatem, & fiduciam in sententia dicenda. Hoc probe intellexit, atque etiam exequutus est Cardinalis Contarenus, qui, vt accepimus, magna auctoritate, & libertate in dicendo vtebatur: quod cum aliquando fecisset in magna quadã causa, quæ inter duas Principes familias agitabatur, atque ipsum quoque Pontificẽ valde

11 q.2.c. *Nolite.*

11.q.3.c. *Nemo.*

In c.sicut dignũ de homicid.

valde attingebat, ac deinde gratiæ illi agerentur, reſpondit, nihil eſſe opus, quod enim feciſſet, officij ſui gratia feciſſe. Quin etiam cum de quibuſdam ad Cardinalatum à Pontifice deſignatis, ipſe publice reſtitiſſet, dictumque ei eſſet, morem hunc eſſe Cardinalium, vt moleſte ferant eum honorem cum pluribus communicari, aperte negauit, id ſe facere ob hanc cauſam, neque ſe Cardinalatum ducere maximam omnium quas haberet dignitatum. Verum illud etiam minime prætereundum, libertatem hanc, quã̄ à Cardinali exigi dicimus, tum multo magis exigi, cum id agitur in quo alteri fiat iniuria. Tunc enim Iuſtitiæ partes ſunt innocentem tueri, quantũ vires ſinant, nec deſerere equitatẽ, aut pati vt à potentiore opprimatur. Quo in genere laudata eſt Nicolai Fliſci conſtantia, qui cum Alexander Sextus à quo ipſe factus erat Cardinalis, immerito Caſtellanum Epiſcopum vellet deponere, ipſe ſemper obſtitit, neque hominis illius irã̄ formidauit, quæ erat omnibus terrori, & quod mirabilius eſt, id facere nõ dubitauit, in

ipſo

ipſo primo Conſiſtorio, cui Cardinalis interfuit, ſcilicet beneficio tam recenti. Quod ſi in cauſis ſingulorum hominum faciendum eſt, quanto magis in iis quæ ad vniuerſam Eccleſiam pertinent? Iure igitur adhuc viget, vigebitque memoria Franciſci Piccolominei, qui Pij II. fratris filius fuit. Hic enim turbulentis illis temporibus eiuſdem Alexandri Sexti, incredibilem ſemper animi magnitudinem, præ ſe tulit, cum in aliis multis, tum maxime cum Pontifex Beneuentum Eccleſiæ ditionem Ioanni filio in feudum dare vellet; cui ille conſtanter reſpondit, diuque & palam cum eo diſputauit, multas afferens, & graues rationes, viciſſimque reſpondens omnibus rationibus, quas Alexander, vt rei cupidus, afferebat. Quod eo laudabilius fuit, quoniam ſolus ipſe id auſus eſt, reliquis omnibus, vel timore perculſis, vel gratia deuinctis, vel ſpe obligatis. Atque vt in hac re dicto, ſic alias facto conſtantiam eandem tenuit, cum redeunte ex Gallia Iuliano Ruerio Sixtus Quartus eius patruus iuſſiſſet, vt Cardinales omnes hono-

ris

ris cauſa obuiam illi prodirent, hic enim vnus nihil eius offenſam veritus, domi ſe continuit, quoniam quantum id dignitatis Iuliano adderet, tantum detraheret Cardinalium Collegio.

Sed non puto eſſe quenquam, qui ſi rem ipſam per ſe perpendat, non eam & iuſtam, & neceſſario etiam à Cardinali debitam fateatur. Illud impedit, & perturbat, frangitque animum, quod libertas hæc non ſolum odioſa, ſed etiam pernicioſa videatur, quia videlicet veritas odium parit, res autem eſt cum Pontifice, aliiſque Principibus, qui multum vel prodeſſe poſſunt vel obeſſe. Hic nimirum eſt ſcopulus, hæc, vt dici ſolet, petra ſcandali, in quam non impingere, & quam omnino euadere magnum eſt negocium. Quare hoc detracto, non eſt dubium, quin facillimum, atque etiam iucundiſſimum futurum ſit Cardinali conſtantiam, & grauitatem ſuam ſemper cõſeruare. Quamobrem hoc etiam poſtremo loco afferamus ad confirmandum cuiuſuis Cardinalis animum, quod verè obſeruatum eſt, non modo nihil perdi, ſed ſæpe etiam magnum lucrum

lucrum fieri. Perdent fortaſſe, & merito qui Pontifici, aut aliis Principibus reſiſtunt ob aliorum Principum gratiam, aut ſtudio partium, vel ob aliquam propriam commoditatem. Qui verò amore iuſtitiæ, aut religionis,bonique communis id facit,ſi præſertim reliquæ etiã vitæ teſtimonium conſentiat, potius vt dixi,multum acquiret. Tantus eſt enim integritatis,& innocentiæ ſplendor apud omnes homines, modo ratione præditos, vt in quocunque ea ſit, eum amabilem reddat, atque etiam hoſtem concilier hoſti, non modo Cardinalem Pontifici. Atque hoc etiam eo magis valet, cum non quaſi repentino aliquo impetu quiſpiam in hanc veritatis,& libertatis profeſſionem venit, ſed potius eam poſſeſſionem longo iam vſu tenuit,idque iamdudum cæpit præ ſe ferre, eamque voluntatem perpetua conſtantia roborauit, & ſemper in propoſito ſuſceptoque conſilio permanſit.Id enim auctoritatem etiam neſcio quam affert, & licentiam dicendi quicquid oporteat, omnium permiſſu, atque etiam cum approbatione, & laude.

De

De Iacobo Sadoleto hoc traditum eſt, cum à Paulo Tertio factus eſt Cardinalis, nihil propius fuiſſe, quam vt Cardinalatũ recuſaret, ſed amicorum conſilio, & hortationibus victum, admiſiſſe tandem, verum hoc illi fixum, ac ſtatutum fuiſſe, vt nihil aliud vnquam propoſitum haberet, quam Reipublicæ Chriſtianæ commodum, & Dei vnius honorem. Quare ita accepimus eius ſemper ſententias liberrimas fuiſſe, plenáſque dignitatis. Nec tamen id eum minus gratum Pontifici reddidit, ſed potius gratiorem, qui eum nouis auxerit honoribus, & nominatim Gallica Legatione. Eadem quoque laus tribuitur Antonio Palauicino Genuenſi, quem Innocentius Octauus ad Cardinalatum euexit. Hic enim de Iulio II. non dubitauit dicere, coram multis Cardinalibus arma data eſſe furioſo. Quod Pontifex audiens, etſi nonnihil commotus eſt, ſemper tamen eum in honore habuit, quin etiam Legatum miſit ad Ludouicum XII. Regem Galliæ, qui in Italiam peruenerat. Quam etiam libertatem tenuit aduerſus Alexãdrum

Sex

Sextum, qui cum eius ſententiam rogaſſet de re, quam apud ſe iam decreuerat, reſpondit apertè, non poſſe ſe dicere,quoniam non ad liberum conſilium, ſed ad decretum factum vocatus erat. Fliſcus etiam Cardinalis, de quo ante mentionem fecimus, cum ſe Iulio II. tum in eius electione, tum deinde in ipſo Pontificatu, ſæpe vt res poſcebat,oppoſuiſſet,& quidem acerrimè, tamen tantum abeſt, vt damnum vllum acceperit, vt inſuper ab eo ipſo ditatus ſit redditu ſeptem millium aureorum, quin etiam tanto in pretio habitus, vt ſcriptum ſit, conſequutam eſſe communem hominum opinionem, non poſſe bonum Cardinalem non amari à Pontifice etiam non bono. Idem fertur de Ricardo Oliuerio,natione Nortmanno,qui iuris ciuilis ſcientia inſignis fuit, ſed multò magis,hac de qua loquimur,libertate.Quo nomine Pio Secundo cariſſimus extitit, qui eum,quamdiu vixit,plurimi ſemper fecit,cum etiam vt accepimus,dicere,ſoleret,tales ſe optare omnes Cardinales. Paulus autem Secundus eum ob eandem cauſam ex

Presby

Presbytero Cardinali Ostiensem fecit Episcopum, tribuitque præterea Vmbriæ Legationem, in cuius administratione excessit è vita. Et quoniam quod multos in hac libertate impedire solet, est maximè metus ille, ne sibi aditum obstruant ad Pontificatum, est ea quidem turpis, & damnanda ambitio, vt per se apparet, sed illud quoque intelligendum; sæpe etiam hanc ipsam libertatem ad ipsum Pontificatum non mediocriter suffragatam esse, vt scimus in Marcello, & Paulo Quarto, cuius vtriusque adhuc recens memoria est. Paulus enim dum Cardinalis fuit, mirabilem semper constantiam præstitit, & quod semel dixerat, aut sensserat, rectum esse, ab eo se nullis, vel precibus, vel minis deduci patiebatur, quòd si quid à duobus Pontificibus, sub quibus eam dignitatem gessit, referretur, quod non iudicaret è re Sedis Apostolicæ, cuius se acerrimum propugnatorem profitebatur, vel apertè dissentiebat, vel certè non veniebat in Consistorium. Marcellus autem cum à Paulo Tertio Nuncij, Episcopi, denique etiam Cardinalis honorem

rem consequutus esset, tamen adeo liber in dicendo apud eum ipsum fuit, vt scribat Onuphrius sæpe ab illo, Pontificem à consiliis sibi non probatis deterritum, & periculosa, quanquam prima specie decora tentantem salutaribus rationibus prudenter reuocatum. Eo vero mortuo cum Iulij Tertij, qui successerat, acta multa non probaret, accedente præsertim febricula, Eugubium se ad suum Episcopatum recepit, id sane hoc suo secessu haud dissimulanter præ se ferens, quod in pectore gerebat. Quare paulo post rediens extincto Iulio conclaue ingressus est, omnium iam iudicio, & approbatione Pontifex designatus, tantam ei auctoritatem, & amorem illa libertas conciliarat. Quamobrem hoc certum sit, hanc dicendi, & agendi fiduciam ita Cardinalem ornare, vt non solum semper spiritualia, sed etiam sæpissime temporalia lucra, & honorum, & facultatum accessionem afferat. Quod si nihil eiusmodi afferat, semper tamen dignitatem, & existimationem, ac gloriam, & certe admirabilitatem quãdam inter homines

parit,

parit, quæ etiam in hoc ipso genere temporalium præmiorum pluris est, quam illa omnia, quoniam vt ait Sa-
Eccles. 1. piens, *melius est bonum nomen quam diuitiæ multæ.*

Quod necessarium sit Cardinali, vt ex animo extirpet desiderium Pontificatus.

CAPVT XXIX.

SI recte cogitemus, duo sunt quasi scopuli Cardinalium, alter ex immoderato amore propinquorum, de quo supra diximus, alter ex cupiditate Pontificatus. Atque hic quidem fortasse etiam periculosior, quoniam cupiditatem hanc non solum ambitio inflammat, sed etiam ille ipse affectus in propinquos, quorum videlicet causa, vt augeantur, & locupletentur, & ad summos gradus euehantur, illud honoris, & potestatis culmen appeti solet. Cum autem humana natura ad omnem honorem, & excellentiam appetendã adeo sit procliuis, quid

quid hic faciet tanta amplitudo, tantus ſplendor, tanta dignitas; immo ipſum faſtigium omnium dignitatum, quæ ſunt in hac vita? Magna igitur aduerſaria Cardinalibus omnibus propoſita, & omnino ad vincendum difficilis, ſed quæ neceſſario vinci debeat. Sciendum enim eſt, & pro certo habendum in hac ambitione ineſſe peccatũ. Docet hoc diſertè S. Antoninus, qui ea culparum genera deſcribens, quibus hic ſtatus expoſitus eſt, hanc qnoque commemorat, quęrere, inquit, & diuerſis viis curare per ſe, vel per alios, vt eligatur in Pontificem. Nam ſi appetere Epiſcopatum ambitione non caret, quanta erit ambitio, omnium fidelium, totiuſque Eccleſiæ curam affectare? Ita S. Antoninus, cui etiam ſimile eſt quod generaliter à S. Auguſtino dictum eſt, locus, inquit, ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etiam ſi ita teneatur, atque adminiſtretur, vt decet, non tamen decenter appetitur. Diſerte etiam B. Gregorius de Saule domi latente, Quia nunc, inquit, in Sancta Eccleſia qui ſe ſubtrahant tantis honoribus pauci ſunt, qui ſe ingerant,

p. 3. ti. 21 c. 2.

19. de Ciuit. c. 19.

4. in lib. Reg. c. 4.

rant, multi; notare qui se ingerunt, debent, quia is qui à Propheta domi absconditus dicitur, non ad spiritualem Ecclesiæ dignitatem, sed ad secularem Regni gloriam quærebatur, non enim in Pontificem hunc quærebant, sed Regem facere volebant. Videat ergo Sacerdos, qua mente fugiendum sit culmen Sanctæ Ecclesiæ, si culmen sæculi conscendere tam cautè Reges, fugerunt. Hæc D. Gregorius. Verum vt subtilius ista enucleemus, quemadmodum rei grauitas requirit, ita distinguendum est, vt intelligamus in Pontificatu tria inesse, primum, finem ipsum, cuius gratia institutus est à DEO, quòd est bonum Ecclesiæ, salus animarum, fidelium gubernatio, vt CHRISTI oues pascerentur, vt errores prohiberentur, vt irruentibus lupis resisteretur. Alterum est altitudo, & eminentia illius gradus, atque illius potestatis in cœlo claudendo, & aperiendo, & in CHRISTI persona in terris sustinenda. Postremo sunt etiam temporalia commoda, tum ex honore, & reuerentia hominum, tum ex diuitiis, & opibus. Igitur si primum illud

illud præcisè expetatur, bonum opus desideratur, vt ait Apostolus: Est enim finis ille per se quidem res bona, vel potius optima. Sed hoc ipsum multas habet cautiones, vt rectè desideretur. Requiritur enim vt qui id expetit, dignus sit, idque ipse cognoscat, non errore, aut ex cæco sui amore, sed vero certoque iudicio. Requiritur vt sit euidens Ecclesiæ vtilitas, nec alij idonei huic loco inueniantur. Denique requiritur etiam, vt is nulla re alia moueatur, nisi magno, & incenso animarum zelo, & studio diuini honoris. Hæc autem omnia tam certa esse oportet, ac manifesta, vt fere sit instar reuelationis cuiusdam, qualis Mosi, vel Hieremiæ contigit, cum ille ad populum regendum, hic ad docendum vocatus est, vterque recusans, ac renitens. Cum igitur tam multa, & tam grauia concurrere necesse sit, quando fieri poterit, vt adsint omnia? Nam hic zelus quem diximus, ex magna charitate prouenit, magna charitas sine magna humilitate esse non potest. At qui verè humilis sit, quomodo tãtis se reb. aptũ

1. *Tim.* 3.

Exodi 3. *Ieremi.* 1.

existimabit? quomodo se aliis præferet? potius omnibus subiiciet, seque omnium infimum & minimum, alios sanctiores, prudentiores, aptiores esse planè sibi persuadebit. Et quidem in aliis fortasse minoribus curis, vt vnius ciuitatis, aut populi, interdum continget, vt hoc desiderium esse possit, sine peccato, quoniã vel propter temporalium rerum incommoditatem, vel propter hæresum deprauationem, aut similem causam difficile sit idoneum Episcopum inuenire. præsertim cum tam multi in Romana Ecclesia desiderentur Episcopi. At verò in cura vniuersalis Ecclesiæ, cum vnicus tantum Pastor requiratur, cum etiam sit onus tam immensum, cuius superbiæ ac temeritatis erit, tantum sibi arrogare, vt se huic rei parem, & quidem solum parem inter omnes existimet? Quare nihil est dubitationis, quin ex hoc ipso capite Summum Pontificatum optari non liceat. Minus etiam licet ex duobus aliis capitibus, idque docet S. Thomas, non modo de summo hoc gradu, sed de quouis Episcopatu. alterum enim ait, esse superbiæ,

2. 2. q. 101. a. 5. & q. 185. a. 1.

& præ

& præsumptionis, quæ locum appetit meritis maiorem, alterum autem tum auaritiæ, tum ambitionis, quæ appetit testimonium excellentiæ. Quam in sententiam Sanctus quoque Gregorius eum qui terrenis commodis inhiat, qui honore prælationis gaudet, qui temporalibus lucris pascitur, aut impensa sibi ab hominibus reuerentia lætatur, non Pastorem esse ait, sed mercenarium. Quod vero ad desiderium attinet, de hoc quoque idem S. Gregorius in quadam Epistola, Sicut, inquit, is qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus, sic qui vltro ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius ad profunda decrescat? Quæ cum ita sint, hoc statuendum, & concludendum est omnino appetitū firmum, & deliberatum Pontificatus, ita vt animus assentiatur, & adhæreat huic cupiditati, & in ea voluntariè immoretur, non posse vacare peccato. Quod ex eo etiam probari potest, quo-

Hom. 14. in Euāg.

Lib. 7. Epi. 109.

niam exponere se periculo peccandi, iam hoc ipsum peccatum est. At hic hic multa pericula, tum auaritiæ, vbi tanta est opum, ac diuitiarum illecebra. tum superbiæ in tam eminenti dignitate, in tanta omnium veneratione. Nam si Apostolus neophytum, ac recentem in fide, Episcopum fieri prohibet, ne in superbiam, inquit, elatus in iudicium incidat diaboli. Si hoc, inquam, timebat simplici Episcopo, & illo tempore timebat, cum Episcopatus nullis adhuc prouentibus instructi essent, & certè nihil haberent præter laborem, & mortis pericula, quid erit timendum Summo Pontifici, in tanta maiestate, in tanta rerum omnium copia? Quanto huic magis metuendum, ne in iudicium, id est, in manus ac potestatem diaboli incidat? Atque hoc ex parte ipsius hominis. Idem vero, & multo magis ex parte gregis, quem tuēdum, & pascendum suscipit Pontifex, & pro quo, vt ait S. Paulus redditurus est rationem. Quæ sane cum per se semper, & in omnibus, grauissima & periculosissima sunt, tum deinde multo grauiora

1. *Tim.* 3.

in

in eo, qui se ingesserit, & obtruserit in hanc curam. Nam qui aliorum iudicio, Deique voluntate coactus, munus suscepisset, multa ei ignoscerentur, quæ alioquin non ignoscuntur, idque etiam testatur sanctus Chrysostomus, cum ait: Qui nolens, & inuitus compulsus est, habiturus est aliquam excusationem. *Hom. 3. in act.*
Hucadde quòd qui animo cupido ad hoc munus accedit, exponit se euidenti periculo, ne deinde Pontificatum administret, ad suum potius commodum, quam ad commodum ouium. Etenim qualis est ordo in appetitu, talis est etiam in opere. Immo vero si ante adeptum Pontificatum proprij commodi amor adeo rectum ordinem inuerterat, quanto deinde facilius id faciet præsentibus, & vrgentibus tam multis illecebris, quæ etiam sanam mentem corrumpere solent, non modo iam corruptam magis ac magis euertere? Sed sunt interdum aliqui, qui ita seipsos seducũt, & fallunt, vt in hoc appetitu Pontificatus, Dei zelo se moueri putent. Itaq; speciosa quædam sibi finguut, quæ facerent si eo loco essent.

Quo enim modo Antiſtites, quomodo Clerum, Populumque omnem ad officium reuocarent? Quem delectum haberent in conferendis Eccleſiaſticis beneficiis, vel honoribus? Quos Epiſcopos, & quanto conſilio, quam ſpectatos, quamque idoneos eligerẽt? Quomodo Principibus Eccleſiæ iura inuadentibus reſiſterent? Denique quam cito omnia quæ iam proſtrata iacent, ipſi erigerent, ac reſtituerent. Hæc apud ſe ſpecioſis, vt dixi, cogitationibus pingunt, eaque inani pictura, & falſo prætextu ambitionem alunt ſuam. Nam ſi hic verus eſt zelus, cur non etiam in aliis ſe rebus oſtẽdit? cur non æque mouetur cũ aliis in rebus diuinum honorẽ violari, animarũ ſalutem impediri videt? Verius igitur ſuperbia eſt, illo virtutis, & pietatis colore fucata, idque etiam monet S. Gregorius his verbis, Plerumque, inquit, ij qui ſubire magiſterium Paſtorale cupiunt, nõnulla quoque opera bona animo proponunt, & quamuis hoc elationis intentione appetunt, operaturos ſe tamẽ magna pertractãt, fitque vt aliud in imis intentio ſup-

3. par. paſt. c. 9.

primat

primat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpe de se mens ipsa mentitur, & fingit, se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat, quæ principari appetens, fit ad hoc pauida, cum quærit, audax cum peruenerit.

Cum igitur nihil dubitari debeat quin cupiditas hæc adipiscendi Pontificatus, peruersa sit, & peccatum contineat, restat etiam videre, quale peccatum D. Antoninus quidem mortale existimat, nec solum de Summo Pontificatu, sed de quouis honore Ecclesiastico. Mitius Nauarrus, qui in honoris appetitu ordinarie quidem venialem culpam inesse docet, fieri tamen mortalem in eo videlicet, qui vel vltimum finem in eo collocet, aut ita appetat, vt etiam pro eo adipiscendo paratus sit mortale aliquod peccatum committere. Nec multum ab hoc discrepant Caietanus, & Sotus, qui ita tradunt: Si bona temporalia, quæ Ecclesiasticæ dignitati sunt adiuncta, ita moueant, vt tamen maneat adhuc finis, qui debet, etiam si

2. *p. tit.* 3. *c.* 5.

3. *p.* §. 4. *tit.* 16. *c.* 2 *Sum. c.* 23. *n.* 15.

In 5. *Th. vbi supr. lib.* 10. *t. iust. q.* 4. *a.* 1.

Digitized by Google

ex temporalibus bonis extiterit prima ratio mouendi, peccatum esse veniale, Si vero finis ponatur in temporalibus illis, omnino esse mortale, tum quia peruertitur ordo à Deo institutus, tum etiam propter periculum. Nam etsi hæc in scholis vtcunque distinguantur,& secernantur,in ipso tamen vsu, & affectu, vix distingui posse, quoniam qui primo à temporali præmio mouetur, ægre seipsum cognoscere possit, an eo referat etiam ipsam dignitatem,ex quo sequi vt vel in peccato mortali semper versetur, vel certe in proximo periculo. Hæc Doctores illi.Est autem in hac re illud maxime obseruandum, quod attinet ad vltimum finem in Pontificatu constituendum : facilius id sane, & frequentius euenire,quam quispiam fortasse credat.Nam si aliquem,immo verò si omnes ex his interroges,sine dubio respondebunt, se vere non ponere finem in honore.Et quidem id serio dicent, quoniam ita putant, atque ita sibi animo constituti videtur.Est enim res latens,& obscura,multisque tenebris inuoluta,vt cætera quæ in animo,

&

& quæ præſertim in affectu ſita ſunt, vt non ſolum alios,ſed etiam ipſos ſui iudices,& cognitores decipiant.Recte enim S.Auguſtinus, ſunt iſtæ, inquit, plangendæ tenebræ, in quibus me latet facultas mea,quæ in me eſt, vt animus meus de viribus ſuis ipſe ſe interrogans,non facile ſibi credendum exiſtimet, quia & quod ineſt, plerumque occultum eſt, niſi experientia manifeſtetur.Quod cum ita ſit, nihil melius, & ſalubrius,quam recipere ſeſe quam longiſſime à periculo. Cur enim extremæ fluminis ſpondæ te committas, cum poſſis remotiori loco tutus eſſe? Certe enim ita res habet, vt ipſa magnitudo deſiderij,& ardor cum hominem inuaſerit, & cæperit, deinde captum etiam magis ac magis prouehat, paulatimque ita abſorbeat, vt eo omnes curas, & cogitationes, & conſilia dirigat, eique cæteri quoque affectus conſentiant,vt quos ſuo deſiderio fauere credit, eos amore proſequatur, quos autem reſiſtere, & alio inclinari, ab iis non poſſit non alienus eſſe. Hæc igitur qui faciat, nimirum magna ſunt indicia, quod quamquam ore perne- 10. *cõfeſſ. c.*16.

get, re tamen vera ad hanc Pontificatus cupiditatem, & se, & sua omnia referat, & in eo, etiam si fortasse imprudens, & minus aduertens, vltimum finem statuerit. Quæ cum ita sint, tum ex hoc, quod modo diximus, de vltimo fine, tum ex reliquis omnibus, quæ supra diximus, concludendum est, desiderium Pontificatus deliberatum non posse vacare peccato mortali, & quandiu quispiam in eo sit, tamdiu in peccato permanere: quoniam vel desiderium ipsum sua natura vitiosum sit, vel certe ita periculosum, vt hoc ipsum obiicere se huic periculo sit peccatum. Si quis autem hoc etiam scire velit, quando eiusmodi cupiditas deliberata intelligatur, tum quidem intelligitur, cum animus non ei repugnat, aut resistit. Sed eam admittit, in ea conquiescit, & cogitando immoratur, sibique in ea placet: vel cum modos ac rationes excogitat consequendi quod cupit, aut cum aliis, qui eiusmodi modos afferant, libenter aures præbentur, atque consultationes libenter audiuntur. denique in primis cum talis cupiditas ad agendum etiam

aliquid exterius impellit, quod iuuare credatur, vel retinet ne quid agatur, quod si fiat videatur posse impedire. Externa enim actio huius generis, non potest nisi ex deliberata voluntate proficisci. Quare cum in hac concupiscentia huius honoris tam euidens sit discrimen æternæ mortis, restat, vt qui æternum hoc malum euadere cupit, quam longissime potest, sese ab ea remoueat, nullumque omnino ei aditum apud animum suum relinquat, sed potius eam rationem teneat optimam, ac tutissimam, quam B. Cyprianus de Cornelio Papa scribit: Qui, inquit, Episcopatum ipsum, nec postulauit, nec voluit, nec vi, vt cæteri quos arrogantiæ, & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit, sed quietus, & modestus, & quales esse consueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, vim passus est, vt Episcopatum coactus exciperet: Hoc igitur omnes Cardinales sibi proponere, hoc imitari debent. *Li. 4. ep. 2*

Quomodo Cardinales extirpare poſſint deſiderium Pontificatus.

CAPVT XXX.

VT non ſufficit ſuum morbum ægrotis indicaſſe, quia poſtquam etiam cognouerint morbum, adhuc neceſſaria ſunt pharmaca, & medicamenta ad eum depellendum, ita in cupiditate Pontificatus aliquid eſt ſane atque adeo multum cognouiſſe, quam magnum ſit malum, ſed præterea opus eſt etiam remediis ad eam extirpandam, & funditus eiiciendam. Eſt enim humana natura tam imbecilla ad contemnendum honorem, & contra tam propenſa ad conſectandum, vt multo ſtudio, & labore, multiſque adiumentis egeat ad eius cupiditatem reprimendam, nec fere poſſint ita radicum eius fibræ euelli, quin aliquid relinquatur, adeo ſunt altæ ſtirpes, adeoque fixæ in hominibus. His vero remediis, non id tantum molimur, vt tibi frater perſuadeamus, quod

quod modo diximus, ne cupias, ne ambias, aut affectes Pontificatum, sed etiam vt refugias, atque vt insuper si quando forte deferatur, quantum in te est recuses atque detrectes. Sic enim eo tutior eris, atque etiam perfectius implebis virtutis officium, ac præsertim Christianæ humilitatis; quam si Christiani omnes ex Christi præcepto colere debent, multo magis, qui inter Christianos omni virtute debent eminere. Vnde igitur melius exordiemur, quam ab ea perfectione vitæ, & ab ea morum sanctitate, quæ in Pontifice Summo, Dei Vicario, Petri successore, omnium magistro & patre requiritur? Etenim de omnibus etiam communibus Episcopis ita videmus docere B. Dionysiũ, vt dicat esse eos in statu perfectionis iam acquisitæ, quoniá perfecti sit alios generare, & alios perfectos reddere. Itaque ob eam causam vocantur à Domino lux mundi, sal terræ, & à B. Petro forma gregis. Atqui id quod est forma, & exemplar, perfectum quiddam & absolutũ esse oportet. Igitur si in vnius ciuitatis Episcopo quouis tãta inesse debet religionis,

Eccles. Hier. c. 6.

Matt. 5.
1. Petr. 6.

ac

ac pietatis excellentia, quid erit in paſtore paſtorũ, & præſulum præſule? Vt enim in capite inſunt ſenſus omnes, qui inde in reliquum corpus redundant, ſic Pontifex qui capitis locum in Eccleſia tenet, omnem membris Eccleſiæ perfectionem impertire debet: non poteſt autem aliis impertire, ſi ipſe non habeat. Quocirca B. Dionyſius eodem loco, quem modo protulimus, ait, munus Epiſcopi eſſe, vt etiam Monachum adducat ad perfectionem ſanctitatis, ex quo ſequitur, vt eius item qui Epiſcopo eſt ſuperior, munus ſit, hoc ipſum tum in Epiſcopo, tum in aliis efficere, ac proinde ſi rectus ordo ſeruetur, in ipſo etiam tanquam fonte omnem virtutis abundantiam reſidere deceat. Itaque Auguſtinus, Triumphus, in eo libro quem ſcripſit de poteſtate Eccleſiæ, inter alia, hoc quoque diſertiſſime diſputat, Papam profiteri maiorem perfectionem, quã ipſos religioſos. immo vero maiorem etiam, quam Epiſcopos, quoniam ipſe Epiſcopos perficit, & ſe obligat ad opus illud quod eſt sũmæ perfectionis, quod eſt, Chriſti oues paſcere, vt Chriſtus ipſe

q. 101. *a.* 1. & 2.

Petro

Petro mandauit, & pro iis etiam ſanguinem ponere, ſi opus ſit. Melius etiam, & luculentius S. Bernardus ad Eugenium, Te ipſum, inquit, conſidera, formam iuſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem veritatis, fidei defenſorem, Doctorem gentium, Chriſtianorum ducem, amicum ſponſi, Cleri ordinatorem, Paſtorem plebium, Magiſtrum inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum aduocatum, ſpem miſerorum, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculorum cœcorum, linguam mutorum, baculum ſenum, vltorem ſcelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentum, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum diſpenſatorem, ſal terræ, orbis lumen, Sacerdotem Altiſſimi, Vicarium Chriſti. Quis non timeat, & tremat hæc audiens, quæ ab hac Sede omnia exiguntur? Quo quidem loco Bernardus, non vitæ tantummodo ſanctitatem commemorat, quæ in Pontifice requiritur, ſed etiam illa tam varia, & tam grauia munera, quæ Pontifex huic *Lib. 4. conſid.*

Dei

Dei ouili omnino debet. Hæc autem adeo ſunt neceſſaria, ex altera vero parte ita ſunt ardua, & difficilia, vt mirandum ſit quemquam eſſe, qui tantum animi habeat, vt hanc obligationem ſubire audeat. Non ita B. Gregorius, qui cum Dominicus Carthaginenſis Epiſcopus amice illi gratulatus eſſet de Pontificatu, reſpondet agnoſcere ſe quidem eius integerrimæ charitatis affectum, ſed ſibi tamen alium longe ſenſum eſſe, quoniam ex conſideratione eius ordinis, mentem tranſuerberaret vis doloris. Graue namque, inquit, eſt pondus Sacerdotij, prius quippe Sacerdoti neceſſe eſt, vt cæteris ad exemplum viuat, ac deinde ſeruandum, vt mentem per oſtenſa exempla non eleuet. De prædicationis ſemper miniſterio cogitet, intenſiſſimo timore, conſiderans quod receſſurus ad percipiendum Regnum Dominus & talenta ſeruis diſtribuens, dicat, *Negociamini dum venio.* Quod profecto negocium tunc vere nos agimus, ſi viuendo, & loquendo proximorum animas lucramur, ſi infirmos quoſque cœleſtis Regni gaudia prædicando in ſuperno

Lib. 1. epi. 39.

Luce 19.

ſuperno amore roboramus, ſi proternos, ac tumidos gehennæ ſupplicia terribiliter inſonando flectimus, ſi nulli contra veritatem parcimus, ſi ſupernis amicitiis dediti, humanas amicitias non timemus. Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expaueſco, & quod accepto Regno paterfamilias redeat rationem nobiſcum poſiturus aſpicio. Sed qua eum mente ſuſtineo, cui de ſuſcepto negocio animarum lucrum, aut nullum, aut pene nullũ reporto? Hęc igitur erat querela, atque hic dolor Gregorij, & metus, qui ſane te frater, Cardinaleſque omnes deterrere deberet, ne id cuperẽt, quod tantum virum, tanta cognitione, & prudentia, addo etiam poſt ipſam rei experientiam tam ægre, & tam moleſte toleraſſe videant. Itaque non tam intuendus eſt externus ſplendor, & faſtus huius dignitatis, quam perſpiciendum quid intus lateat obligationis, officij, curæ. Quid enim maius, aut magis metuendum, quam id quod ab Apoſtolo, de omnibus omnino Prælatis dictum eſt: *Ipſi peruigilant rationem reddituri pro animabus veſtris?* Nam *Heb.* 13.

cum

cum adeo difficile ſit hanc rationem reddere pro ſua tantummodo anima, quæ cæcitatis eſt vltro ſibi hanc difficultatem augere velle, & quidem non earum tantum animarum quæ in vna ciuitate ſint, rationem reddendam ſuſcipere, ſed omnium plane, quæ ſint in vniuerſa Eccleſia? Atque hoc quidem quid ſit, & quantum ſit, in-
Hom. 3. in act. dicat S. Chryſoſtomus, cum de Epiſcopo ita ait: Quantæ hoc difficultatis? etiam quod alij peccant illi imputatur. Nihil amplius dico, ſi vel vnus tantum decedat non baptizatus, nonne totam ipſius ſubuertit ſalutem? Vnius enim animæ perditio tantam habet iacturam, vt nulla ratio poſſit æſtimare. Etenim ſi vnius animæ ſalus tanti eſt, vt ob hanc filius Dei fieret homo, tantumque pateretur; cogita quantam pœnam eius merebitur perditio. Neque vero ad defendendum Pontificem valet illa excuſatio, hanc curam, & hanc obligationem propriam eſſe Epiſcoporum, aut Parochorum. Huic enim ipſi reſpondet eodem loco S. Chryſoſtomus, Ne mihi, inquit, dixeris, Peccauit Preſbyter,

byter, aut Diaconus: nam omnium horum crimina redundant in caput eorum, qui hos elegerunt. Idem igitur licet dicere de Pontifice. Cum enim ipſe Epiſcopos eligat, ſi hi negligentia, vel temeritate peccent, ad ipſum quoque pertinet, præſertim cum ipſius partes ſint non ſolum eligere, ſed etiam poſtquam elegerit, videre vt omnes in officio ſint. Itaque hoc illud eſt quod S. Bernardus denunciat Eugenio: Tu es, inquit, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum paſtores. Habent illi ſibi aſſignatos greges ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, ſed & paſtorum, tu vnus omnium paſtor. Quod ſi ita eſt, quanta erit ſarcina, quantum onus, totum, vt ita dicam, orbem terrarum humeris ſuſtinere? ſed blandiuntur præſentia, & aſpectus iſte in ſpeciem gratus, illa magnificentia, & illa pompa, ita oculos perſtringit, vt nihil aliud, niſi quod foris apparet, cogitare ſinat. Verum exercendum eſt lumen fidei, quod latet in animo, idque adhi

Lib. 2. de conſid.

adhibendum, tum ad interiora penetranda, tum ad ea, quæ in altero sæculo futura sunt præuidenda. Hoc igitur lumen apertè ostendet, quantum sit animæ periculum, & quanta dementia pro tam breui, tamque fallaci bono æternam salutem periculo obij-
Epi.236. cere. S. Bernardus de Eugenio, scribens ad Cardinales, qui eum Pontificem elegerant, vereri se, ait, ne opprimatur onere insueto, & nimio, quod & gigantinis vel ipsis quoque angelicis humeris formidabile videre-
Epi.237. tur. Idemque S. Bernardus ad Eugenium ipsum, Considero gradum, & casum vereor. Considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi, iacentis deorsum. Attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum reformido. Altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem: sublimiorem, non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste, locus, inquam, in quo stas, Terra sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius. Si forte declinaueris à via Domini, sepultus est in eodem loco, vt sit tibi contra te in testi-

monium.

monium. Atque hæc quidem pericula, quæ S. Bernardus dicit, si iis etiam imminent, qui legitimè à Deo vocati tanquam Aaron nulla sua ambitione, nulla opera interposita etiam inuiti in hanc Cathedram compulsi sunt, quid deinde iis timendum erit, qui arte aliqua blandiendo, captanda gratia, deferendis obsequiis obrepserunt? In hos vero cadit illa Domini vox apud Oseam Prophetam: *Ipsi regnauerunt & non ex me*, Principes extiterunt, & ego ignoraui. Ex se namque (ait S. Gregorius) & non ex electione, summæ ordinationis regnant, qui ad gloriam Ecclesiastici culminis non vocantur diuinitus, sed per cupiditatem perducuntur. Quos profecto Dominus ignorat, quia eos per internæ æquitatis iudicium reprobat. Tale est ergo ac si dicat, Etsi meus esse videtur honor, quem habent, non illum meruerunt obsequio, sed cupiditate rapuerunt.

Osea 8.

2. in lib. Reg. c. 3.

Hactenus quæ dicta sunt, vim ferè habent ex spiritualibus rationibus, & omnia ad animam, omnia ad æternam salutẽ pertinẽt, Itaq; etsi hęc præcipua,

& maxi

& maxima ſunt, tamen dicamus nunc aliquid etiam de præſentibus; in quibus ipſis ſi recte attendamus, multa ſunt, quæ hunc affectum, de quo loquimur, inſerere Cardinalibus poſſint; Nam ſi quis eſt, qui in hoc tam eminenti loco, omnia proſpera, & iucunda, nihil aduerſi, aut acerbi accidere putat, is vehementer errat. Immò verò quàm multæ in eo moleſtiæ, quantæ difficultates, qui æſtus animi, quæ perplexitates, qui concurſus negociorum cum Principibus, & Regibus, cum Populis, & Nationibus? Quæ turbæ petentium, & ſupplicantium, qui doli ingerentium ſeſe, vel alios, quæ machinæ, qui cuniculi, quæ viæ ad voluntatem Pontificis expugnandam per domeſticos, & familiares, per amicos potentes, denique per omnes? Nam cum omnis gubernatio per ſe difficilis, ac laborioſa eſt, etiam pecudum, non modo hominum, qui ratione & libertate præditi ſunt, tum vero difficillima eſt in tanta hominum peruerſitate, in tanta proteruia, in tanta ambitione, qua plena ſunt omnia. Vbi enim iam illa fides,

illa

illa obedientia, & obseruantia erga Apostolicam Sedem, quæ esse deberet, & quæ olim erat, cum Reges ipsi, vt in Anglia, & Hybernia vltro se subditos, & tributarios Romanæ Ecclesiæ faciebant? Nunc contra, quàm multi omnia ex suis politicis vtilitatibus metientes, eatenus Pontificis rationem habent, quatenus id sibi conducit, si non conducat, res suas agunt, nullo eius respectu, nulla obedientia. Et quidem hoc inter Catholicos. Quid deinde hæretici, qui iugum abiecerunt, quid schismatici, aliique aperti Ecclesiæ hostes, quorum iam est tanta multitudo, & verendum ne in dies crescat? D. Gregorius cum Ecclesiæ gubernationem suscepisset, dolebat, & querebatur, quòd vetustam nauem, & vehementer confractam (sic enim scribit ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum) suscepisset, in quam vndique fluctus intrarent, & cuius tabulæ propter quotidianam, & validam tempestatem quassatæ naufragium sonarent. Si igitur iam tum erat tanta in ea regenda difficultas, quantum eam creuisse necesse per hos mille iam

Lib. 1. Epist. 4.

annos, quibus hæc ipsa tempestas durauit, immò verò multò etiam magis adaucta est, corruptis scilicet hominum moribus, refrigescente charitate, abundante, & crescente in dies malitia? Quid deinde illud quantum est, quod Pontificis vita, & gubernatio, & mores, dicta, facta denique omnia, vt sunt oculis hominum exposita, nec possunt occultari, ita sunt etiam exposita iudiciis, & sermonibus, nec potest vllius esse tanta sapientia, aut peritia, quæ omnibus satisfaciat, aut omnibus placeat. Ex quo fit, vt semper querimoniæ, aut etiam obtrectationes, & incommodi sermones audiantur? Quam miseriam rectè exprimit Sanctus Chrysostomus in Episcopo; At in honore habetur, inquit, Quis honor? Pauperes triobolares conuicia in eum in foro iaculantur; Rursus nisi se præbeat omnibus, & iis, qui viuunt in ocio, & iis, qui in negocio, mille vndique criminationes. Si vehementius commoueatur, crudelis vocatur, si non moueatur, frigidus. Hæc & alia multa, quæ in eandem sententiam commemorat S. Chry

Hom. 3. in act.

Chryſoſtomus, de quouis Epiſcopo, multo magis ſummo huic Epiſcopo conueniunt, idque præſertim quod addit: Sacerdotis animus nihil differt à naui, quæ fluctibus iactatur. Vndique premitur ab amicis, & inimicis, à ſuis, & alienis. Quod quidem quis non videat, quàm aptè & apertè congruat Summo Pontifici, qui in conſpectu totius orbis terrarum, de quo non vna ciuitas, ſed omnes ciuitates, & populi iudicant, à quo omnia petuntur, cui omnes inſtant: & tamen etiam reliqua omni totius Eccleſiæ cura præciſa, illa vel ſola ſufficere poſſit ad magnam moleſtiam, quam ait S. Bernardus, inſtãtia quotidiana ab Vrbe Roma, à curia, à domeſtica Eccleſia, qui ſcilicet familiarius viſitant, frequentius pulſant, importunius ſolicitant. Vbi eſt igitur, & quæ eſt hæc tanta felicitas, quã nimirũ ſtulti, & cæci homines ſibi fingunt in Pontificatu? Contra verò, qui in eo labores, & dolores, curæ, ſolicitudines, quæ ſemper animũ exedunt, vitamq; inſuauem, & acerbã efficiunt, interdũ etiam mortem ipſam afferunt, vt præter alios fertur

Lib. 4. de conſid.

de Nicolao Quarto optimo sanè Pontifice, qui cum strenuè pro Ecclesiæ commodis laboraret, ex animi tædio mortuus scribitur, cum videret res sibi minus ex sententia succedere.

Sed faciamus nihil esse horum malorum in Pontificatu, verùm omnia quieta, omnia iucunda, magna etiam gaudia, ac denique vniuersa bona, quæ in hac vita expeti, optarique possint. Quanto demum tempore durabit hæc felicitas? Quam multi enim Pontifices, ne annum quidem in hac Sede clauserunt? Nam vt anteriores taceamus, Alexander V. vt accepimus, decem tantum menses in ea vidit. Lucius Secũdus vnum amplius; nouem Benedictus Nonus, pauciores etiam alij, vt Ioannes XX. & Benedictus XI. vterque octo tantum, septem Stephanus X. Cœlestinus autem II. Itemque Innocentius V. non plures quam quinque; denique Gregorius VIII. & Hadrianus V. vnum mensem, & paucos præterea dies. Quid illi, qui ne integrum quidem mensem exegere, vt Stephan. II. Anno DCC. LII. qui tribus omnino diebus Pontifex vixit,

& Da

& Damaſus II. qui tribus, & viginti, Anno MXLVII. Cœleſtinus autem Quartus patria Mediolanenſis decem & ſeptem, Anno MCCXLI. recentior etiam Pius Tertius Anno MD.III. qui viginti & ſeptem. Marcellus vero memoria noſtra, vnum & viginti. Denique quid plura quærimus? Ante oculos eſt Vrbanus Septimus, qui hoc ipſo Anno tantis hominum gaudiis, tantis gratulationibus electus poſt ipſos duodecim dies rurſus ereptus eſt, cum pari omnium luctu, & mœrore. Verum dicet aliquis hos eſſe caſus fortuitos, & extraordinarios. Cui primum reſpondeo, Quis autem præſtare poteſt, ne tibi hoc idem extraordinarium eueniat? cùm certè quod alteri accidit, tibi quoque accidere poſſit, præſertim cùm eiuſmodi exempla ita iam ſint, vt vidimus, frequentia, vt non multum abſint ab ordinariis, ſed tamen videamus ſpatium illud quod pro ordinario haberi ſolet, cuiuſmodi ſit, nimirum incertum, dubium, & quod caput eſt, ſemper breuiſſimum, & anguſtiſſimum. idque apertum, atque euidens eſt, cũ alios quarto, alios

quinto Anno mors inuadat, qui verò ad ſeptimum annum prouecti fuerint, eorum vero Pontificatus nimis iam longus videri incipiat, mirumque ſit, & rarum, ſi hic terminus excedatur, cum præſertim ea ætate, plerumque, vel ſemper potius, quaſi de induſtria eligantur, vt certò ſciatur nõ multum à vitæ calce abeſſe. Quamobrem videtur hic mihi optime conuenire optimum dictum Thomæ illius Mori celeberrimi Martyris in Anglia, qui cùm ampliſſima Cancellarij dignitate exutus, & in carcerem ob fidei Catholicæ cauſam coniectus capitalem ſententiam in horas expectaret, multi autem ex amicis virilem illum animum inflectere conarentur, inprimiſque Aloyſia vxor multum orare, & precari cœpiſſet, ne ipſam, ne liberos, ne vitam ſuam perderet, qua diu adhuc frui poſſet, quæſiuit ex ea Morus, quamdiu tandem putaret. Cum illa reſpondiſſet, totos viginti annos: Vis ergo, ait ille, vt æternitatem ipſam viginti annis commutem? Nam ſi annorum viginti millia diceres, aliquid tu quidem diceres, ſed tamen quid hoc eſſet ad

totam

Digitized by Goog

totam æternitatem ? Idem ergo vt dixi, conuenit in hanc Pontificatus cupiditatem, in quo tam breue est gaudium quod percipitur, æternum autem supplicium quod timetur.

Verum hæc quidem mala adhuc absunt à Cardinali, sunt enim in Pontificatu ipso. Valent tamen ne desideretur, vel potius vt etiam fugiatur is locus, qui tot spinis lacerantibus, & fodicantibus refertus sit. Quare nunc etiam videamus ea mala, quæ iam nũc patiatur Cardinalis, qui viuat in hac misera cupiditate. Atque hæc quidem facilius est videre oculis, quam verbis describere, Nam qui mentis cruciatus, qui angores ? qui dies, quæ noctes sustinentur cogitando, æstuando, pendendo animi expectatione dubia, spe fallaci, quæ autem supplicia, quæ cruces, quoties aliquid interuenit, quo ea spes interturbetur ? Sed inter hoc nihil miserius seruitute. Primum enim si qui hac cupiditate tenerentur, ipsius cupiditatis essent serui, vt auarus auaritiæ, & omnino vitiosi omnes eius vitij, cui sunt obstricti, quoniam ab eo aguntur, & impelluntur,

nec ſui compotes ſinuntur eſſe. Itaque hanc primum ſeruitutem ſeruirent, certè miſeram, & acerbam, ſed præterea omnibus etiam, qui eam cupiditatem vel adiuuare vel impedire poſſunt. Quare quot ſunt in primis Cardinales, tot hi dominos haberent, omnibus enim ſe accommodare cogerentur, omnibus præſto eſſe, ſi quid peterent. immò etiam ſi quid innuerent, aut ſi quid eos cupere ſuſpicarentur: nihil vnquam auderent, quod illis diſplicere poſſe, intelligerent, in negociis ſuſcipiendis, & tractandis, in loquendo, in agendo, in ſententia dicenda omnẽ cautionem adhiberent, omnemque induſtriam intenderent, ne vllum lædant, aut offendant. Quæ igitur eſt ſeruitus, ſi hæc non eſt? Nec ſolum Cardinales, vt dixi, timerentur, & obſeruarentur, ſed illi quoque, qui apud eos in gratia eſſe, & aliquid poſſe videntur, ne illos à ſe alienarẽt, ſed conciliarent potius, & conſeruarent. Quid deinde externi Principes & Reges? Quod ſtudium eos demerendi? quæ cura ſatisfaciendi, ſi quid intercederet. Quin etiam idem fere ſtudium

adhi

adhiberetur in eorum Principum miniſtros ac famulos, per quos videlicet negocia tractantur, vt de ſe ad dominos ſuos amicè loquerentur. Sic verò fit, vt dominandi libido in ſeruitutem inducat; & quidem infinitam. Vt igitur in hac ſeruitute magna eſt miſeria, & magna etiam turpitudo, eaque multa indigne facere cogit, ſic contra excuſſo ambitionis iugo, nihil facilius erit Cardinali, quàm ſuam grauitatem, & conſtantiam, in omnibus ſuis actionibus, & ſententiis retinere. Itaque ſi ipſam quoque dignitatem quærimus, multo maiorem conſequuntur, qui huius honoris contemptum præ ſe ferunt, quoniam hoc ipſo oſtendunt ſe rebus humanis omnibus eſſe ſuperiores, in quo eſt maximus ſplendor, & maxima dignitas, etiã apud homines. Cardinalis Polus in eo Conclaui, quod Pauli Tertij obitum conſequutum eſt, in ipſo tertio ſcrutinio, tã prope acceſſit ad Pontificatũ, vt vnum tantummodo ſuffragium defuerit, nec erat dubium, quin ſi temporis cauſa mollitus eſſet, aut aliquibus blanditi voluiſſet, nullo res negocio confici

posset; Sed ille tantam semper tenuit humilitatem, & modestiam, immo verò, vt ego quidem sentio, animi magnitudinem, vt non modo ad nihil eiusmodi se vnquam inclinarit, sed etiam libentissimè passus sit, ac pro sua etiam parte adiuuerit, vt onus illud in alterum transferretur. Sunt sane ciusmodi exempla satis rara, sed quæ sunt, magnopere conferunt, ad infirmiores roborandos, vt notissimum illud Magni Gregorij, qui neque precibus, neque tam incredibili omniū consensu flecti vnquam potuit, donec igneæ columnæ indicio in latebra deprehensus, ipse quoque illo tam manifesto diuinæ voluntatis indicio deterritus est, ne Dei voluntati amplius obsisteret. Simillima etiam fuit virtus Victoris Tertij, qui post Gregorij Septimi mortē, omnium voce, & approbatione ad Pontificatum expetitus, semper recusauit, atque hanc ob causam diu distulit ad Vrbem accedere. Cum autē post menses aliquot hanc illorum voluntatem deferbuisse existimans accessisset, raptus est repente ab omnibus ordinibus, & in ædem S. Luciæ perduc-

ctus

ctus, & veste purpurea ornatus, cum renitenti alba vestis imponi non potuisset. Sed ille post dies quatuor Tarracinam profectus, Pontificio ornatu deposito, professus est nolle se Pontificē esse, neque amplius adduci potuit, vt Romam rediret, donec anno proximo, qui fuit Annus Domini M. LXXXVII. in Capuano conuentu, cui ipse quoque vt vnus ex aliis intererat, vrgentibus, & obsecrantibus denuo Episcopis & Cardinalibus, multisque Principib⁹, & quidē ad eius genua suppliciter prouolutis, vix deniq; se vinci passus est. Hic est sensus veræ humilitatis, dignus omnibus Christianis, eoq; magis quò sunt in statu perfectiori, cuiusmodi sunt Cardinales, vt nō solum vniuerso terrarum orbi administrando, sed vel vni ciuitati impares se esse cognoscant: quod multi fecerunt, qui etiā mediocres Episcopatus ita cōstanter recusarunt, vt quiduis perpeti mallent: quemadmodum Ammonius ille, de quo est in vitis Sanctorum Patrū, ad quem cum totus populus concurrisset, vt eum Episcopum faceret, ita restitit, vt etiā forficibus aurem sibi ipse

præciderit, existimans se iam ineptum factum esse Sacerdotio. Sed cum populus nihilominus instaret, iurauit ille se linguam etiam ob cuius facundiam expetereretur, excisurum. Quo illi audito molestiam Sancto viro exhibere destiterunt. De Goare item magno Dei famulo ita scriptum est, cum à Sigiberto rege ad Treuerensem Episcopatum vocaretur, postquam recusando nihil se proficere vidit, triginta dierum inducias postulasse, quos in perpetuis precibus consumens, hoc à Domino impetrauit, vt insanabili morbo corriperetur, quo factum est, vt reliquum vitæ lectulo affixus, peregerit; idque ille pro magno videlicet beneficio accepit. Maius vero est, quod Lamoni contigit, qui Hieropoli electus Episcopus, cum nullius vel precibus vel consiliis cederet, & ad extremum Theophilus etiam Episcopus hortator accessisset, ille ne tanto viro aperte repugnare videretur, diem vnum quasi ad deliberádum sumpsit, quem quidem non deliberando, sed ea molestia apud Deum deprecanda trãsegit; itaque inuentus est in eodem lo-

co, quo orabat, expiraſſe: Quid de totius Eccleſiæ cura ſentiendum eſt, ſi tales homines, tam Deo cari, etiam vnius mediocris ciuitatis curam, tantopere defugérunt?

Sed nihil agimus commemorandis tot malis, quę huius ſummæ dignitatis cupiditas Cardinalibus parere poteſt, niſi etiam alteram huius ambitionis radicem excindamus, ſitam in amore propinquorum, quo ad eos locupletandos, nobilitandos, & ad ſumma quæque euehendos vehementiſſime homines excitari ſolent, niſi diligentiſſime caueant. Quare ſic exiſtimo, poſſe Cardinalem ad Pontificatum expetendum facilius ac vehemẽtius impelli, vt commodet ſuis, quam vt commodet ſibi ipſi. Itaque nihil dubij eſt, quin ad ambitionẽ hãc ſtirpitus euellendam, hoc vel pręcipue conferat, ſi hic affectus extirpetur. Quomodo autem hoc fiat, ſatis puto à nobis dictum eſſe alio loco: aut ſi illa non ſufficiunt, ne ſatis quidem futura arbitror, quæcunque à nobis hoc loco dici poſſint. Summa tamẽ hæc ſit, magnam eſſe eius dementiam, ac cœcitatem, qui

tanto

tanto ſuo damno aliis vtilitatem comparare velit, & quidem ſuo ſpirituali damno, eoque æterno vtilitatem aliis emat temporalem, & breuem. Sic enim Andreas Barbatius, ſic etiam Archidiaconus, quem ille affert, vterque iiſdem verbis, peccare aiunt mortaliter Pontificem, ſi res Eccleſiaſticas donet conſanguineis, vt eos diuites faciat plus æquo. Quod autem ad dignitates attinet, ne in his quidem ita liber eſt Pontifex, vt eas ſuo arbitratu conferat etiam indignis. Nam cum in his duo ſpectari poſſint, primum honor ipſe, & veneratio, quod quidem eſt genus quoddam humani boni quod homines plurimo æſtimant, deinde Eccleſiæ miniſterium, & vtilitas: vtrumque eiuſmodi eſt, vt niſi dignis committatur, peccatum ſit, idque duplex, alterum aduerſus proximos aptiores, quibus bonum illud præripitur, alterum aduerſus Eccleſiam, cui minus idonei miniſtri imponuntur, qui nec eam iuuare, aut ſubleuare poſſint, & locum occupent, eorum qui poſſent. Itaque egregie de hoc ipſo B. Hieronymus illud ex ſacris

De Carp. 1. q. 3. in c. non liceat 12. q. 2.

In c. 1. ad Tit.

litteris

litteris profert, quod Moses cum posset vtique successores Principatus filios suos facere, & posteris suam velut hæreditariam relinquere dignitatem, non hos tamen elegit, sed Iosuem ex aliena familia, atque etiam ex aliena tribu, vt disceremus, has dignitates non sanguini deferendas esse, sed vitæ. At nunc, inquit, cernimus plures hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, & vt deteriora taceã, qui vt Clerici fierent, muneribus impetrarunt. Atque hoc, quod de Iosue electione B. Hieronymus notat, idem etiam ponderauit Origenes. Nulla, inquit, hic populi acclamatio, nulla propinquitatis habita contẽplatio est. Et certe quid est aliud Pontificatum dirigere ad familiam ditandam quam rem tam sacram, tamque diuinam omnino prophanare, & ad sæcularem vsum adhibere, vt fecit Balthasar ille in cõuiuio, quod quidẽ sacrilegiũ magno luit, *Hom. 22. in num.* *Dan. 5.*

luit, ſtatim & Regno exutus, & vita? Quamobrem nihil poteſt dici melius in hoc genere, quam quod à B. Chryſoſtomo breuiter dictum eſt, ſed ita luculente, vt totum hoc argumentum breui compendio complectatur, ſic enim ait, ſęcularem quidem primatum deſiderare, etſi ratio nõ eſt, vel cauſa eſt quia etſi iuſtum nõ eſt, ſaltem vtile eſt. Primatum autem Eccleſiaſticum concupiſcere neque ratio eſt, neque cauſa, quia neque iuſtũ eſt, neque vtile. Quis enim ſapiens vltro ſe ſubiicere feſtinat ſeruituti, labori, dolori, & quod maius eſt periculo tali, vt det rationem pro omni Eccleſia apud iuſtum Iudicem, niſi forte, qui nec credit iudicium Dei, nec timet vti, aburens primatu ſuo Eccleſiaſtico, vt ſæculari, & conuertat eum in ſæcularem?

Imperf. in Matt. hom. 35.

Libet ad extremum hæc omnia claudere memorabili certe exemplo vnius Cardinalis, quod ante oculos ferme conſtituere poſſit, ruinas & damna, quæ ex hac fœda, & peruerſa ambitione proueniant, etiã in eos ipſos qui ea tenentur, & interdum in totam Eccleſiam. Sed antequam hoc exẽplum, quod

quod in Anglia gestum est, propono, reuocandus est in memoriam florentissimus Anglicani Regni status, qui fuit ante annos fere sexaginta, cum pietas, & religio, & omnis virtus adeo florerent in Anglia, vt intelligatur, quas strages, & quantum incendium vna hæc Pontificatus libido excitarit. Fuit igitur, vt Sanderus narrat, in illa prouincia Thomas Volsæus, qui humili, ac potius plebeio loco natus, cum ad Henrici Octaui Sacellum obrepsisset, deinde etiam regiis eleemosynis præfectus esset, ita Regis beneuolentiam sibi conciliauit, vt Linconiensis primum Episcopus, deinde Dunelmensis, tum etiam Vintoniensis, simulque Archiepiscopus Eboracensis, mox totius Regni Cancellarius, quæ post Regem princeps dignitas est, postremo Cardinalis, & in vniuerso illo Regno Pontificius à latere Legatus crearetur. Accedebant deinde complures Abbatiæ locupletissimæ, annuæ pensiones permagnæ, quotidiana munera ingentia. Accedebat gratia duorum summorum Principum Caroli V. Imperatoris, & Francisci

Lib. 1. de schis. Anglic.

ciſci Galliarum Regis, qui pene certatim in hoc homine ſibi deuinciendo laborabant, ita vt Carolus ſæpiſſime ad eum, & amantiſſime ſua manu ſcribere, & in extremis literis eius ſe filium, & cognatum appellare non grauaretur. Verum, cum inſuper etiam Summi Pontificatus cupiditas eum inaſiſſet, vt ſe per Carolum id minus cõſequi poſſe cognouit, totus in Franciſcum conuerſus, primus omnium impium illud, funeſtumque Angliæ conſilium cepit, vt Henricum Regem ad diuortium cum Catharina Caroli matertera faciendum impelleret, hoc quidem animo, vt eo ad Gallicas nuptias conuerſo, Regem illũm ſibi arctius adiungeret. Itaque cum in eo efficiendo ſummam vim, ac contentionem adhibuiſſet, cœlumque & terram, vt dicitur, miſcuiſſet, hoc quidẽ quod volebat non obtinuit illud conſequutum eſt, quod nolebat, vt Henricus Catharina relicta, alteram ſibi fœminam per ſummum ſcelus aſciſceret, ſimulque & ſe, & totum Regnum à fide Catholica, à Romanæ Sedis obſeruãtia ſeiungeret. Nec vero Volſæus tãtorum malo

malorum origo, tantũ flagitium tulit impune. Nam paulo poſt Regis gratia, Cancellariæ munere, altero etiam Epiſcopatu, & palatio, quod magnificentiſſime extruxerat, ſpoliatus, poſtremo in magna nobilium Corona comprehendi à ſatellitum manu iuſſus, dum in Londinenſem arcem trahitur, in ipſo itinere, tot miſeriarum, torque calamitatum concurſu oppreſſus animam exhalauit. Cuius etiam hoc dictum fertur, cum in eo capiendo clamarent ſatellites, teneri illum ob læſam Regiam Maieſtatem, reſpondiſſe ipſum, vtinam non magis Diuinæ Maieſtatis læſæ reus eſſem. Nunc autem dum Regi nimium ſeruio, & Deum offendi, & Regis gratiam perdidi. Ex hoc igitur tam funeſto exemplo, multa ad rem noſtram elici poſſunt documenta, primum quot malorum cauſa eſſe ſoleat cupiditas Pontificatus, cum huic vni illius tantæ Inſulæ perditio accepta re ferri debeat: deinde quibus ſuppliciis etiã in hac vita plecti à Deo ſoleat, hęc sũmę ſedis ambitio. Poſtremo vt iſta cupiditas à leuibus initiis in maiores errores, deinde quibuſdã quaſi gradi

gradibus in maxima scelera præcipitet. Vt enim, qui in mari nauigant, interdum ventis, & fluctibus paulatim in altum etiam nolentes abripiuntur, sic qui huic desiderio velificari cœperint, à modico affectu ad ardentiorem affectum; à minoribus culpis ad culpas grauiores prouehuntur, interdum imprudentes, interdum etiam scientes. Sed nimirum non possunt obsistere, neque seipsos cum in cursu fuerint cohibere. Quare facienda est initio medicina, omnisque aditus his cupiditatibus obstruendus, quas ita extirpare oportet, vt quatenus fieri possit, cum Dei ope radicitus extrahantur.

Quid spectare debeat Cardinalis in eligendo Summo Pontifice.

CAPVT XXXI.

RElinquum est ex omnibus Cardinalium officiis id, quod vt splendore maximum, sic rei momento difficillimum, & vero etiam periculo grauissi

grauissimum est, nimirum suffragium ferre in summo totius Ecclesiæ Pontifice creando. Cum igitur tantum, tamque arduum sit negocium, merito non oscitanter, aut remisse peragendum est, sed si quid est in hac vita, quod attentionem, curam, meditationem, omnemque animi prouisionem requirat, hoc profecto requirit. Ita enim Gregorius illud interpretatur, quod scriptum est in libro Regum de Samuele, qui etsi iam antea Saulem à Deo electum norat, eumque ipse inunxerat, tamen, cum ad eum Regem renuntiandum ventum est, tanta vsus est inquisitione, vt populum omnem per tribus, & familias stare iusserit, deinde sortes miserit, postremo latentem domi repererit; Quid ergo, inquit, hoc facto signatur, nisi quia Sanctæ Ecclesiæ Principes multa consideratione eligendi sunt? Egregie etiam Origenes, quod Dominus in Leuitico iussit, vt in Pontifice constituendo congregaretur omnis populi cœtus, ita interpretatur, vt sciant omnes, inquit, & certi sint, quia qui præstanttor est ex omni populo, qui doctior, or,

S. 4. *in lib.* Reg. c. 4.

Ho. 6. in c. 8. Leu.

doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Pontificatum. Hoc eſt autem, quod & Apoſtolus præcipit, in ordinatione Epi-
1. Tim. 3. ſcopi, dicens, *Oportet autem illum, & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt.* Addit etiam alteram interpretationem non minus aptam huic loco, quod nimirum conuocare populum, hoc ſit colligere omnes animi virtutes, eaſque in vnum congregare, vt cum de Pontifice inſtituendo agitur, vigilent omnes animi virtutes, & intentæ ſint, vt nihil in eis ſapientiæ, nihil ſcientiæ, nihil deſit induſtriæ, ſed adſit omnis multitudo ſenſuum, adſit omnis congregatio ſanctarum cogitationum, vt quid ſit Pontifex, quid vnctio, quid indumenta eius, conferens intra ſacrarium cordis ſui poſſit aduertere. Quæ cum ita ſint, hoc primum apud ſe decernere debent Cardinales omnes, vt in tanta re, quanta eſt eum eligere, qui omnium fidelium caput in terris futurus ſit, qui totam Eccleſiam ſit adminiſtraturus, omnem diligentiam, omnes ingenij, prudentiæ, iudiciiq; neruos intendãt, vt eum eligant,

qui

qui tanto oneri, tantæque prouinciæ par sit: Quid enim monstruosius, quam id, quod ait S. Augustinus, vt præcipuus locus gubernaculorum ei tradatur, qui remum tenere non nouit? Sed hoc quidē monstrum in nulla alia re accidere videmus. Nam vt in eodē simili maneamus: Si nauigādum sit, gubernandæ nauis munus, non ex gratia, aut ex beneuolentia committitur, sed quæritur idoneus aliquis, nec quisquam est, qui non cupiat habere quam peritissimum, & quam possit optimum. Ecclesia vero ipsa quoque quasi nauis quædā est, & quidem onusta mercibus. Quæ vero in ea merces? Animæ innumerabiles per se tam pretiosæ, sed præciosiores, ob infinitum pretium, quo emptæ, & ob Dei sanguinem, quo ablutæ sunt. Et quidem hac naui, ij etiam ipsi vehuntur, qui suffragium ferunt. Quæ ergo maior cœcitas, quam ei clauum tenendum mandare, qui ineptus, & imperitus sit, tanto periculo tamq; certo, tum aliorum omnium, tum etiam suo? Etsi enim nauis hæc quantacunq; instent pericula, vel turbinum, vel fluctuum, nunquam *Epi.* 148.

obrui,

obrui, aut mergi poteſt, quoniam portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam, poteſt tamen affligi, & vexari, poteſt magna, & grauia incommoda pati. Nam vt ouium paſtor, ſiue propter imperitiam, ſiue propter malitiam, gregem non curet, ſi non ducat ad paſcua, ſi non à feris arceat, totum perdet: ſic animarum paſtor ſi non vigilat, ac prouidet quacunque cauſa id eueniat, aut quia neſciat, aut quia nolit, idem neceſſe eſt ſequi, vt Eccleſia multas accipiat plagas, quas deinde cum inueteratæ fuerint, nullius melioris paſtoris induſtria ſanare queat. Hæc autem detrimenta, non ab ipſo tantum Pontifice qui peccat, luenda ſunt, ſed ab iis etiam, qui eum elegerunt, vt à cauſa remotiore damnorum: præſertim vero ſi non eam, quam oportebat, curam adhibuere, aut ſi quod grauius eſt, ſuum potius in eo eligendo commodum ſunt ſequuti. Itaque Gondiſaluus bonus auctor, & doctus, hoc etiam diſerte affirmat, debere Cardinales totis viribus adniti (ſic enim ait) ne in eius electione, qui ſupra omnes conſtituitur,

De Car. n. 30.

tur, errent ; alioquin ipſis imputari, quicquid electus male adminiſtrando committit,quoniam ipſi ſunt in culpa. Verum quod tenebras in hac re offundit, & plerumque tranſuerſos agit hominum animos,quædam eſt ſpecies fictæ vtilitatis, dum quiſque quod ſibi aptius eſſe exiſtimat,vel ad amplitudinem, & honorem, vel ad diuitias augendas, id ſectatur ; eoque inclinat. Quæ autem maior peruerſitas, quæ turpior deformitas cogitari poteſt, quam eiuſmodi rem adeo ſanctam, temporali fine prophanare, vel etiam rem tam communem,non ex communibus commodis,ſed priuatis, & ſuis metiri? Fingamus enim animo,id quod ſæpe euenire ſolet,vt ciuitas Legationem aliquam decernat ad regẽ ſuum de negocio maximo, & in quo ciuitatis eius maxima vtilitas, aut ſalus ipſa verſetur, ſeligat oratores, eoſque ad hoc ipſum ornet honoribus, augeat comitatu,proſequatur ampliſſimo viatico. Si igitur iſti,his omnibus acceptis, cum ad regem venerint,publicæ vtilitatis obliti propriã quiſq; cauſam tractare cæperit, quis non eos clamet in-

fideles, & communis boni proditores esse? Eodem modo Cardinales, qui ex omni hac nostra Christiana Republica delecti, tanta dignitate, tantis facultatibus quasi splendido viatico instructi sunt, vt essent Ecclesiæ instrumenta, tum ad alia negocia, tum ad hoc omnium maximum, si deinde ad priuata emolumenta & commoda conuertantur; fidem deserunt, produntque publicã causam, & depositũ quodammodo fallunt. Quod etiam eo magis apparebit, si huius actionis, quæ est Pontificem eligere, natura consideretur. Nihil enim aliud est, nisi, vt antea attigimus, eligere CHRISTI Vicarium in terris, quẽ Christus ipse confirmet in cœlis, & cui claues regni cœlorum tradat, suam potestatem committat. Vt enim ad quemuis Principem pertinet, suis vrbibus præficere quos velit, & quos maximè idoneos iudicet, ita in hoc Christi regno designatio Põtificis, qui eius partes quasi ipso absente teneat, CHRISTI propria est, eamque exercuit omnium primus in Petro eligendo, cum ei dixit: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & iterum* deinde: *Pasce agnos*

Matt. 16
Ioan. 21.

agnos meos. Nunc autem tantam hanc, tamque diuinam poteſtatem communicat etiam cum hominibus, id eſt, cum Cardinalibus, immo totam eis committit, & ratum habet quicquid ipſi geſſerint. Quanta igitur cum fide, quanta etiam cum reuerentia, & timore quodam,qua pietate, ac religione hoc ſuffragium tam ſanctum,& de re tam ſancta ferri oporteret? Qui vero id non faciat, ſed rei ſanctitatem terrenis reſpectibus admixtis adulteret, quàm is grauiter Deum offendet? Denique conuincamus eos (ſi qui iſtiuſmodi ſunt) ex ſuo ipſorum ſenſu.Etenim ſi domui ſuæ Oeconomum cũpiant, eiuſque quærendi curam alteri committant, qualem eum eligi velint?quàm fidelem, quàm peritum, & ſcientem, quàm accuratum, denique omnibus artibus ad id negocij idoneum?Quod ſi is cui hoc mandaſſent, non ex ipſorum, ſed ex ſuamet vtilitate aliquem minus aptum deligeret, quantopere indignarentur? Et merito.Sed ſi hæc iuſta eſt cauſa indignãdi in re parua,ac leui,quãto iuſtius ipſis Deus iraſcetur, in re tãto maiore,

& grauiori? Est enim Ecclesia Dei domus, & Dei familia: quare nihil iniquius, quam huic familię aliquem præponere ipsi eius domino ingratum, & odiosum.

His igitur ita positis, illud manifestè, & euidenter sequitur, hanc omnibus Cardinalibus quasi regulam, ac formulam huius electionis, semper ante oculos tenendam, eum eligi oportere Pontificem, qui omnium optimus, & aptissimus ad hoc munus existimetur. Itaque non solum graui se scelere obstringunt, si inepto suffragium suum tribuant, sed etiam si tribuant apto, prætermisso tamen aptiori, oportet enim vt dixi, vt eum eligant, qui præter cæteros maximè aptus videatur. Docet hoc S. Antoninus, qui hac ipsa quæstione his ipsis verbis posita, an teneantur Cardinales eligere meliorem, in Pontificem, disertè, ac liquidò respondet, teneri, alioquin peccare mortaliter & esse personarum acceptionem. Quod autem à quibusdam dicitur, satis esse si idoneus eligatur, meliori posthabito, ait falsum esse, nec valere in foro conscientiæ.

p. 3. tit. 22. c. 2.

tiæ. Paulo etiam post grauissimum esse dicit peccatum, si minus idoneus eligatur, vel propter pecuniam, vel etiam aliorum precibus, vel gratia, aut commendatione, vel denique, quia speretur commodus fore, & beneuolus. Hæc omnia S. Antoninus. Hieronymus quoque Manfredus in illo libello de Cardinalibus hoc optimè: In eligendo nouo Pontifice, quo citius, & sanctius possunt, abhorrentes ab omni munerum corruptela, amore, spe, cupiditate, metu, & omni solicitudine animi prorsus exuti, magna humilitate ad id munus accedant. Quod si secus fecerint, peccatum æterna dignum pœna admittunt, eiusque pœnam luent corpore, & anima. Atque idem etiam alio loco: Ad eligendum Petri successorem Christi Vicarium Cardinales omnes integritate animi, & optima mente accedere debent, non autem precibus, aut pretio corrupti, amore, aut odio aliquo: sed tota cogitatione respiciant vtilitatem Ecclesiæ vniuersæ, honorem DEI omnipotentis ante oculos habentes. Si verò secus faciant, quoniam tanta potestate

Cap. 7.

Cap. 26.

sibi concessa abutuntur, æternos sibi cruciatus in alia vita acquirunt, in hac verò summum dedecus, atque infa-
de Card. miam contrahunt. Idem confirmat Al-
q.11. banus, cum ait, Cardinales vulnerare suas conscientias eligendo idoneum, quando magis idoneum eligere potuissent, & in eam sententiam, duos magnos affert testes Abbatem, & De-
2.2.q.181 cium. Idem etiam tradit S. Thomas
a.5. docens, quicunque potestatem habeat, vel eligendi, vel præsentandi peccare, nisi eum, qui maximè aptus sit, eligat, & quidem addit Caietanus obligari etiam ad contentionem, comparationemque faciendam, vt ex iis, qui ad manum sint, non modo bonum, sed etiam optimum sumat, alioquin a. esse acceptionem personarum; redditque S. Tho. rationem, quoniam hæc Ecclesiæ ministeria, non ad hominum remunerationem, sed ad ipsius Ecclesiæ vtilitatem instituta sunt; quare eo omnia esse referenda. Hæc ille de quouis Episcopatu. Quod si in cæteris valet, quantò magis in summo omnium Episcopatu? Quò etiam pertinet illud
Epist.19. S. Augustini in S. Iacobi sententiam,

qua

Digitized by Google

qua Apoſtolus ille perſonarum acceptionem in ſtando, vel ſedendo condemnat. Si, inquit, hanc diſtantiam ſedendi vel ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus, non eſt putandum leue eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat eligi diuitem ad Sedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore? Quod ergo S. Auguſtin. dicit de diuitiis, idem intelligendum eſt de aliis, cum vel amor ad aliquem indignum inclinat, vel ira, aut odium, ab aliquo digno reuocat, & in ſumma cum aliquis humanus affectus, qui ſe interſerat, mentem à recto detorquet. Atque hoc etiam ipſius rationis lumen, & naturæ iudicium demonſtrat. Nam qui aliis ideo præponuntur, vt eos regant, & gubernent, quantum eos gradu antecellunt, tantum etiam antecellere oportet ſapientia, & virtute. Itaque in omnibus populis bene cõſtitutis, cum de Rege legendo agitur (niſi per vim, & per ſeditionem agatur, quod quidem non Regnum eſt, ſed tyrannis) ſemper is quæritur, qui excellat:

multo autem magis id fieri deberet in populis Christianis. Sic legimus Hierosolyma per sacrũ illud insigne bellum recepta, quod fuit Anno M.IC. cum inter Principes, qui eò multi conuenerant de creando Rege consultaretur, cœpisse inquisitionem fieri de singulorum vita, & moribus: quin etiam vt cuiusque merita magis constarent, ferunt iureiurando adactos familiares,& intimos quosque vt candidè, & simpliciter omnia expromerent. Qua inuestigatione adhibita, cum omnium vita patuisset, electus est Godefridus ille, cuius vnum hoc crimen compertum est, quod nimis prolixas moras in templis traheret, quæ familiam tædio afficerent, & cibos iam paratos insuauiores redderent. Quid igitur facere oporteret Ecclesiasticos electores Principis Ecclesiastici, si etiam Laici homines in laico Principe instituendo hanc regulã tam accuratè tenuerunt? Quadere superfluum est latius disserere, cum habeamus Conc. Trid. apertissimam auctoritatem meliorem eligi iubentis. Igitur cum hoc ita habeat, vt semper optimo

Tyrius de bello sacro lib. 9.

Sess. 24. c. 1.

cui

cuique & digniſſimo ſuffragium tribuendum ſit, duo tamen Auctore S. Antonino, obſeruanda ſunt, quæ rem hanc haud paulò faciliorem reddunt. Primùm enim hoc ita intelligendum, ſi ſpes ſit eum qui melior, aut optimus iudicetur, ad Pontificatum peruenire poſſe. Nam ſi deſperetur, quia maior pars aliò inclinet, in hunc pauci, vel nullus, tum verò licebit alteri, etiam ſi minus bono, ſed tamen bono, ſuffragari: vel quia aliter etiam res conficietur, vel quia rectum eſt exiſtimare illos, qui plures ſunt, melius ſentire, ac plus videre; denique ad tollendam diſſenſionem, & offenſionem, quod omninò curandum eſt, vt quàm maximè concordia teneatur. Si verò ſpes aliqua affulgeat Cardinali, poſſe ſe eum, quem aptiorem iudicat, ſuo ſuffragio iuuare, & promouere, quoniam non deſint alij, qui idem ſentiant, omnino (ait S. Antoninus) ſuffragari deteriori, & minus digno non licet. Alterum deinde eſt, cum de meliori, ſiue aptiori loquimur, non eum intelligi, qui ſanctior ſit, magiſque pietati, ac religioni deditus, ſed qui melior

huic negocio, id est, magis idoneus gubernandæ Ecclesiæ. Quare etsi non adeo virtutibus perfectus sit, si tamen iis præsidiis ornatus, quæ ad regendum conferunt, hic esset præferendus. Hæc verò præsidia nota sunt, prudentia in primis & solertia, tum deinde peritia, & rerum vsus, præterea doctrina, & eruditio, sine qua sine dubio fluctuaret gubernatio in tanta præsertim rerum mole. Quare ex his omnibus ferendum est iudicium, sic tamen, vt non desit ea virtus, probitas, atque integritas, quæ in gregis dominici pastore desideratur. nam sine hac nulla sufficeret sagacitas, vel experientia.

Postremo, quoniam in his omnibus æstimandis, & diiudicandis errari potest, & sæpe erratur, operæ prætium erit quasi praxim quandam tradere seruandam in eligendo; si prius id dixerimus, quod præter reliquos stimulos ad tuam Frater carissime diligentiam in hoc genere excitandam magnopere conferre posse existimo. Sic enim obseruatum est, qui in hoc tanto negocio suarum potius vtilitatum

tum, quàm diuini obſequij rationem habere voluerunt, plerũque ita à Deo punitos eſſe, vt à quibus potiſſimum omnia ſperabant, & quibus hac ſpe immerito ſuffragati erant, ab iis non modò nihil præmij referrent, ſed malè etiam tractarentur. Iuſto vtique Dei iudicio, vt & ipſi per quæ peccarant, plecterentur, & alij diſcerent eorum exemplo, ac tam euidenti, tamque præſenti pœna deterrerentur. Nam vt nihil de noſtra ætate dicam, quod eſt odioſum, aperte hoc declaratũ eſt Alexandro VI. Põtifice, qui cum quorundam Cardinalium ſuffragatione, ſuam magis quàm Eccleſiæ vtilitatem ſpectantium ad Pontificatum prouectus eſſet, pro magnis commodis, quæ ſibi ſpoponderant, magnas cuncti ab eo calamitates acceperunt. Ita enim memoriæ proditum eſt, omnes, qui illi in dignitate adipiſcenda fauerant, non multò poſt alios alia pœna luiſſe, partim exilio, partim teterrimo carcere, partim etiam capite damnatos: quin etiam multos Romanos proceres, quorum propinqui Cardinales illum extulerãt variis ex cauſis, vel ſublatos, vel

bonis exutos. Similia autem multa commemorari possent. Verùm vt ad praxim illam redeamus, hoc in primis tibi faciendum omnino est, vt cum primum Pontificis obitu vacuam Sedem videris, nouumque quærendum Successorem, intelligas magnum tibi instare, negocium graue, ac periculosum, & in quo facile sit labi grauissimè. Itaque iam tum tecum statuas, ac decernas, nihil te agere velle, quod Deum offendat, malleque omnia perdere, ac perpeti. Quare vt salua conscientia, ex hoc quasi euripo euadere possis, tum ipse te Deo precibus commendare, eiusque opem, ac lumen implorare incipias, tum etiam cures vt alij, & preces, & missas pro te, & pro aliis collegis offerant, tribuas largiores eleemosynas, denique nihil omittas, quod ad diuinam maiestatem conciliandam pertineat. Deinde semper quidem, sed maximè in ipso Conclaui, cum electioni opera datur, hoc studeas, tuisque omnibus viribus coneris, vt te omni tua voluntate, & inclinatione exuas, ne ob alicuius amorem, aut ob priuatum commodum in aliquem

aliquem propendeas, aut contra ab aliquo abhorreas. Immo vero ſi quid eiuſmodi in animo tuo inhæſiſſe ſenſeris, eiicias ſtatim acriter, & fortiter, quoniã ſine dubio rectum iudiciũ peruertet. Vt enim cum Solis radius per vitrum permeat,etſi per ſe puriſſimus, tamen eodem colore affici videtur, quo vitrum ipſum tinctum fuerit, ſic cum Dei lux in voluntatem inciderit, aliqua infectam cupiditate facile fit, vt illa ipſa inclinatio ex Dei luce manare videatur, itaque homo ſuum placitum, vt Dei placitum amplectatur, nempe idolum pro vero numine. Cum igitur tuam omnem voluntatem funditus eicceris,tertium eſt,vt quàm maximum concipias deſiderium cognoſcendæ diuinæ voluntatis, vt eam ſequaris,& exequaris. Quid enim iuſtius, quàm in negocio Dei, eum cui ſuas Deus vices commiſit,nihil facere, niſi quod Deus velit? Nã & hoc ſuffragium Cardinalibus à Deo datum eſt, & Pontifex his ſuffragiis decernendus, Dei domum gubernaturus, Dei cauſam tractaturus eſt. Quare ex omni parte nihil perurerſius, vt antea diximus,

mus, quàm non omnino satisfacere eius voluntati. Itaque huc te semper respicere,& ad hoc omne tuum ingenium,animique vires cõuertere oportebit, idque, & mente, & ore, assiduè precari,quod Apostolos olim in simili re precatos legimus : *Tu Domine, qui corda nostri omnium*,ostende quem elegeris ex his omnibus, vnum accipere locum ministerij huius,& apostolatus. Recte,Quem elegeris.Hæc enim esse debet hominum cura,& labor;vt eum ipsum eligant, quem iam ante mundi constitutionem elegit Deus. Quarto loco hoc etiam scias, ad cognoscendum quisnam ex omnibus maximè Deo placeat,duplicem esse viam,vnam per internum Dei auxilium, qui vel rationem suo lumine illustret,vel voluntatem impellat in eam partem, quam ipse velit.Ad hunc autem interiorem Dei illapsum magnopere confert,tum puritas conscientiæ,tum feruens desiderium exequendæ voluntatis diuinæ,tum etiam oratio,& meditatio cœlestium rerum, quæ vim hanc habet, vt animam expurget, habilemque reddat ad recipiendos, & percipien

Act.1.

dos diuinos motus. Altera eſt via conatu,& ſtudio ipſius hominis cogitando, & ratiocinando, & proponendo ſibi tres illos,aut quatuor,in quos hæc deliberatio cadere poſſit, (vix enim plures erunt) deinde perpendendis, atque conferendis inter ſe eorum dotibus, quæ huic muneri aptæ ſint. Neque vero excludenda,ac potius exquirenda ſunt aliorum conſilia, modo proborum, ac prudentum, rectiſque ſenſibus euntium,& [illegible] gloriam ſpectantium. Sæpe enim conſultando, & audiendo veritas retegitur. Ex his autem ſatis intelligi poteſt, quis locus reliquus eſſe poſſit obligatis,& deditiis illis ſuffragiis,quis gratiæ, aut amicitiæ,aut precibus,cum nihil aliud eo tempore debeat animo obuerſari, quam Dei honor, & obſequium, tum Eccleſiæ Sanctæ vtilitas, & Fidelium ſalus.

Quid à Cardinali ſeruandum ſit in Legationibus, vel in Gubernationibus ſibi commiſſis.

CAPVT XXXII.

VLtimo loco eſt etiam aliquid dicendum de aliis quibuſdam Cardinalium functionibus, quas ideo in hunc locum reſeruauimus, quia nec omnibus communes ſunt, & à quibus geruntur, non ſemper, & tota vita geruntur, ſed raro, & ad tempus. Vna igitur ex his functionibus eſt Legatio, cum à Pontifice ad certum aliquod negocium mittuntur, vel etiam cum alicui Prouinciæ gubernandæ præficiuntur. Nam etſi proprium eſt Cardinalium Pontifici aſſiſtere, eumque præſenti conſilio, & opera iuuare, tamen cum ita res, vſuſque exigit, alio etiam allegari poſſunt, idque ſæpenumero magnam attulit Eccleſiæ vtilitatem. Vt enim inter Angelos alij ſunt adminiſtratorij ſpiritus in ſalutem hominum

minum miſſi, vt ait Apoſtolus, & hi quidem ex minoribus ordinibus, alij vero Deo ſemper aſtant,qui ſunt ſummi illi ordines, & præſertim Seraphinorum, tamen ex his etiam ſummis aliqui nonnunquam ad terras deſtinantur, vt olim ad Eſaiam, quod ipſe teſtatur, ita in hac Eccleſia militante habet Pontifex Maximus inferiores adminiſtros,quos huc illuc,pro Eccleſiæ procuratione dimittat, vt Epiſcopos alioſque prælatos.Cæterum ſi negocij ratio id poſtulat, mittit etiam interdum ex Cardinalibus ipſis, quos ſupra diximus, Seraphicæ claſſi reſpondere. Tunc autem id res poſtulat, cum eiuſmodi cauſa eſt, ad quam expediendam, non ſolum neceſſaria ſit prudentia, & dexteritas, rerumque vſus, quæ ſcilicet in aliis quoque inueniri poſſunt, ſed etiam maior quædam auctoritas,qualis eſt in Cardinali. Quare oportet ſemper haud mediocre eſſe negocium, ſed magnum, & arduum, nec priuatum, ſed publicum, ac vel ad totam Eccleſiam pertinens, vel certe ad præcipuam eius partem. Atque hoc quidem inſtitutum adhi-

Heb. 1.

Eſaiæ 6.

bendi

bendi Cardinales ad hæc munera minime nouum, aut recens eſt, ſed ab eo tempore ſtatim introductum, quo etiam Cardinalibus accedere cœpit maior auctoritas, & maieſtas. Itaque Calliſto Secundo Pontifice, id eſt anno circiter MCXX. ingens illa, & fœda contentio inter Imperatores & Pontifices, quæ quinquaginta propemodum annis totam Eccleſiam continenter turbarat, tandem trium Cardinalium legatorum egregia opera plane ſublata eſt, & quidem cum magna Eccleſiæ dignitate, reſtituto ei iure conferendi beneficia, quod Imperatores inuaſerant. Hi a. Cardinales lectiſſimi ſane fuere Saxo è Comitibus Presbyter, Lambertus Oſtienſis Epiſcopus, Gregorius Papareſcus Diaconus; quorũ quidem hi duo poſteriores, deinde etiam Pontifices fuere, alter Honorius II. alter Innocentius II. eius nominis. Multo vero etiam magis eiuſmodi Legationes non multo poſt ab Alexádro Tertio frequẽtari cœptę, quẽ legimus ipſo Pontificatus initio, Ioannem Anagninum Cardinalẽ miſiſſe Mediolanum,

vt

vt ſuas partes aduerſus Victorem antipapam, & Federicum Imperatorem tueretur;quod ille quidē ſtrenue præſtitit, cū vtrumq; publice è ſuggeſtu, & complures Epiſcopos eorum ſectatores à piorum communione ſemouit. Quin idem etiam anno MCLXXI. cum in Anglia Thomas Cantuarienſis impie mactatus eſſet, duos Cardinales eo legaſſe ſcribitur ad Regis cauſam cognoſcendam, an eius cædis conſcius fuiſſet; Eodemque fere tempore ad Conuentum quendam Italicum magni momenti, alterum par Cardinalium deſtinauit Hildebrandum Craſſum,& Alberganum.Itaque ab illo tempore his omnibus ſæculis ita,Legationes hæ vſitatæ,& frequentatæ ſunt in Eccleſia, vt nullum fere maius negocium à Pontificibus aliter ſit confectum.Quamobrem Iordanem Vrſinum legimus primum à Ioanne XXII. miſſum in Hiſpaniam contra Benedictum Lunam Antipapam. iterum à Martino Tertio, quem vulgo Quintum appellant in Galliam, Vngariam, Bohemiam, poſtremo ab Eugenio Quarto ad Concilium Baſilienſe

ſemper

ſemper cum magno fructu. Dominicum etiam Capranicum, qui ab eodem Martino Cardinalis nominatus, ipſo interim mortuo, nihilominus ab Eugenio promotus eſt, duodecim honeſtiſſimas Legationes obijſſe accepimus: at Ioannem Caruaiallum, de quo ſupra mentionem fecimus, duas & viginti. In quo genere plurimum etiam commendari video Æneam Syluium Picolomineum, qui poſtea Pontifex Pius II. dictus eſt, is enim Pontificum iuſſu ad plures Germaniæ ciuitates profectus, talem vbique ſe præſtitit, vt ita creditum ſit, eum in ſtudio erga Sedem Apoſtolicam à nemine eſſe ſuperatum. Quod fere idem de Laurentio Campegio dici poteſt, qui ex Auditore Rotæ à Leone X. Cardinalis factus, multas ipſe quoque Legationes præclare obijt, primum in Angliam ad Henricum VIII. adhuc Catholicum, vt eum in fœdus aduerſus Turcas adduceret, iterumque ad eundem propter diuortij cauſam, quod ille cum Catharina optima coniuge agitabat. Deinde in Germaniam ad Concilium quoddam indictum, poſtremo

poſtremo rurſus in Germaniam, cum Lutherana peſtis ſerpere cœpiſſet. In quibus tamen eius Legationibus nulla difficilior, aut implicatior fuit, quam illa de regio diuortio quod diximus, cum res illi eſſet cum Rege, cui magnis antea beneficiis obſtrictus erat, à quo videlicet, & Eccleſiaſticos redditus haud mediocres, & inſigne palatium Romæ acceperat. Itaque cum ille deinde, & his meritis, & auctoritate, & multo magis importunitate, nonnunquam etiam minis, ac metu, tam iniuſtum, impiumque negocium vrgeret, quantus ille fuit campus exercendæ eius integritatis, ac fortitudinis, quæ eſſe debet in Cardinali Legato? Etſi ille quidem hoc ipſum acrius fortaſſe potuit. Ita enim viſum eſt quibuſdam nonnihil ceſſiſſe, & aliquid Regis gratiæ dediſſe. Sed tamen & illud ipſum, quod fecit, etſi quid non fecit quod facere debuit, ſatis oſtendit quanta res ſit Legatio Cardinalis. Atque idcirco etiam hæc exempla à me commemorata ſunt, vt intelligeretur, quam ingens Eccleſiæ emolumentum, Legatis decus, Legationes

recte

recte obitæ afferre ſoleant: contraque quantum Eccleſiæ damnum, quantum Cardinalibus dedecus, ſi minùs recte obeantur.

Cum igitur hoc ita ſit, videndum iam eſt in eo munere gerendo, quæ à Cardinali ſeruanda ſint, quæue fugienda. Hæc vero omnia, nec melius, nec apertius, nec grauius tradi poſſunt, quam à S. Bernardo expoſita ſunt in libris ad Eugenium ſuum; quem dum edocet, quos Cardinales ad hoc munus eligere debeat, ipſos etiam qui eliguntur, docet quid debeant præſtare. Sic igitur ait: Qui Legatione pro Chriſto fungi quoties opus erit, nec iuſſi renuant, nec non iuſſi affectent. Qui quod verecunde excuſant, obſtinatius non recuſent. *Qui miſſi poſt aurum non eant*, ſed Chriſtum ſequátur. Qui quæſtum Legationem non æſtiment, nec requirant datum, ſed fructum. Qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptiis Moſen; Fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Heliſæum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negociantibus Chriſtum. Qui vulgus non ſpernant, ſed doceant,

Lib. 4. de conſid.

Philip. 4.

doceant,diuites non palpent, ſed teneant,pauperes non grauent, ſed foueant, minas Principum non paueant, ſed contemnant. Qui non cum turba intrent,nec cum ira exeant,qui Eccleſias non ſpolient,ſed emendent. Qui marſupia non exhauriãt,ſed corda reficiant,& crimina corrigant,famæ prouideant ſuæ, nec inuideant alienæ. Quorum ſermo ædificatio, quorum vita iuſtitia, quorum præſentia grata, quorum memoria in benedictione. Qui ſe amabiles præbeant non verbo, ſed opere: reuerendos exhibeant, ſed actu, non faſtu. Qui ad te redeant fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati, ſimul & gloriantes, quod non curioſa, ſeu pretioſa quæque terrarum attulerint, ſed quod reliquerint,pacem Regnis, legem barbaris, quietem Monaſteriis, Eccleſiis ordinem,Clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem,ſectatorem bonorũ operum.Hæc S.Bernardus præclare,cuius omnia dicta, adhæc tuo capita referri poſſunt, vel ſuſcipiendæ Legationis,vel gerendæ. Nam in ſuſcipienda hoc ſeruare debent Cardinales,vt nec eã ambiant,

aut

aut affectent, propter honorem, nec iniunctam recuſent, propter difficultatem aut periculum. Itaque nec ſe auidos in petendo, nec timidos in detrectando, nec obſtinatos in reſiſtendo, præbere debent, quoniam qui ob ſuam cupiditatem, vel ambitionem in eiuſmodi negocia magna, & ardua, audacter ſeſe ingerunt, quoniam non à Deo vocantur, nihil egregium efficere poterunt, qui vero à Deo vocati, & electi abnuunt, nimirum ſerui ſunt contumaces, & quod in ipſis eſt, Dei conſilium, & ordinem illum diuinæ prouidentiæ perturbant. Cæterum in adminiſtranda deinde Legatione, illæ ſunt aſciſcendæ virtutes, quas S. Bernardus commemorat, conſilium in prouidendo, conſtantia in exequendo, humanitas in tenues, fortitudo in Principes, zelus pro domo Dei, ſed ante omnia integritas, & continentia, quæ confert non ſolum ad vitæ ſanctimoniam, ſed etiam ad exemplum aliorum, & ad auctoritatem ipſis comparandam, quæ omnino neceſſaria eſt in talibus negociis. Itaque optima eſt illa B. Bernardi vox, ne Legationem

exiſti

exiſtiment quæſtum, id eſt, non eam conuertant in mercaturam, vt ex ea ditari velint; quod periculum iis potiſſimum imminet, qui rem habent cum Principibus, qui poſſunt & ſolent multa, ac magna offerre, ad quæ repudianda inſigni opus eſt virtute, qualis eſt in paucis. Verum quid ab eo expectari poſſit, qui mercede, ac præmiis emptus ſit? Itaque imitandum eſt omnibus Cardinalibus exemplum illud, quod in hoc ipſo genere narrat idem S. Bernardus, Pontificij Legati in Aquitania, cui cum à quodam Presbytero allatus eſſet piſcis, ille nunquam admittere voluit, niſi pretio reddito. Item inquit, cum eſſemus in quodam oppido, domina illius oppidi obtulit ei pro deuotione cum manutergio duas, vel tres paropſides pulchras, ligneas tamen. Quas aliquandiu intuẽs homo ſcrupuloſæ conſcientiæ, laudauit eas, ſed non acquieuit accipere. Quando argenteas accepiſſet, qui ligneas refutauit? Verum propter hanc integritatem, illud quoque magnæ curæ eſſe debet apud Cardinalem, vt

corum inter quos Legationem obit, animos ſibi conciliet, quamque maxime adiungat non modo Principũ(hoc enim ita apertũ eſt vt monitione non egeat) ſed ipſorum etiam populorum, vt ſe omnibus gratũ reddat, & carum. Id enim magnum eſt adiumentum ad res gerendas. Hanc autem hominum beneuolentiam, multa efficere ſolent, & in primis virtutes, omnes quidem, ſed præſertim populares illæ,comitas, manſuetudo,liberalitas. ſed ſunt præterea etiam artificia quædam colligendæ gratiæ, cuiuſmodi eſt, præ ſe ferre peculiarem amorem, & charitatem in gentem illam, in qua quiſque verſatur.Quanquam hanc ſane opinionem, non exiſtimandum eſt ſubito acquiri poſſe,præſertim ſi quod ante præceſſerit alicuius alienationis indicium. Itaque nunquam ſatis præcipi poteſt Cardinalibus id quod ſupra quodam loco monuimus,vt nulli vnquam ſe Principi,aut parti, quæ in Republica Chriſtiana verſetur, nimis addicant, ſed Communitatem quandam retineant: ſeque æquales, & eoſdé omnibus ſeruent,

uent, atque id tum verbis, tum vero factis ipſis profiteantur, omnibuſque notum,& teſtatũ eſſe velint.Hoc enim tum ad alia multa,& pene infinita officia quotidiana confert,in quibus alioquin perpetuo neceſſe erit claudicari, tũ deinde ad hoc ipſum,vt omnes apti ſint ad omnẽ Legationem in omnẽ locum,& ad omnẽ nationẽ,nec vllus recuſari,vel ſuſpectus haberi poſſit, ſed vnũquemq; omnes, vt ſuũ excipiant, & tanquã ſuo libenter cuncta cõmittant. Atq; ad hunc etiam finem popularis beneuolentiæ cõciliandæ magnopere confert, curare, ac deinde etiam opportune oſtendere notitiam quandam eius gentis, cui quiſque Legatus eſt:vt exẽpli gratia,ſi in Gallia,quantũ proderit cognoſcere, & cum vſus incidit poſſe commemorare eius Regni initia,& progreſſus, qui Reges extiterint,quo iure ſucceſſerint, quales etiã viri fuerint,qui motus, quæ perturbationes excitatæ ſint,& quas ob cauſas. Quod idem valet apud cæteras nationes, atque in eo, aliqua Legato Cardinali adhibenda eſt diligentia.

Dicamus nunc etiam breuiter, quid ſeruare debeat Cardinalis, cum ei alicuius prouinciæ, aut loci adminiſtratio committitur, quod ipſum, cum à Pontifice committitur, genus eſt cuiuſdam Legationis. Interdum enim in hoc quoque genere magno vſui eſt Cardinalium opera, vt cum Eugenius IV. Ludouicum Scarampum Marchiæ Anconitanæ Legatum inſtituit, quam ille quidem magna ex parte à variis occupatam armis, & vi recepit. Idemque à Caliſto Tertio claſſi præfectus multa in mari Ægeo aduerſus Turcas fortiter geſſit, multaſque iis clades intulit. Ægidius quoque Carillus ab Innocentio Sexto Auenione ad Eccleſiaſticam ditionem recuperandam cum Exercitu miſſus, adeo feliciter id perfecit, vt deinde Pontifici plauſtrũ clauibus onuſtũ oſtenderit: quæ erãt claues vrbium, & oppidorum ab ipſo receptorum. Quo in genere eodem magnam etiam Eccleſiæ operam, ante annos fere CCCXX. nauauit Ioannes Columna optimus, & fortiſſimus Cardinalis, qui ab Honorio Pontifice, cum

in

ingenti classe in Ægyptum Legatus, Æliopolim, quam Damiatam vocant, feliciter expugnauit, ac post multa strenue gesta, ad quendam gloriæ cumulum captus etiam est ab hostibus, ex quorum tamen manibus incolumis euasit. Cuius etiá pietatis monumentum extat adhuc ea columella, quæ in S. Praxedis visitur, ad quam Dei filius creditur flagellatus, quam ille secum in Vrbem, tanquam opima Orientis spolia reuexit. Quare non potest dubitari, quin hoc etiam armatæ, vt sic loquar, Legationis genus si religionis causa postulet, cum laude, & fructu obiri possit. Illud tamen frequentius, cum Legatis Prouinciæ tempore pacis gubernandæ committuntur. In qua administratione quam diligentiam, quam æqualitatem in omnes, quantam integritatem, iustitiam, continentiam tum pecuniæ, tum aliarum cupiditatum præstare debeant, nihil attinet dicere. Nam cum etiam prophani Magistratus hoc debeant, quanto magis Ecclesiastici? Et, si vel solum Cardinalis officium id exigeret,

quid erit adiuncta insuper persona publica, quæ ipsius Pontificis faciem refert? Tantum hoc dicam, non sine causa Legatis solemne esse, vt crucem præferant, non solum ad honorem, sed etiam ad documentum, vt meminerint, suam potestatem licet temporalis quoque sit, tamen & ex Ecclesiastico principio fluere, & in homine Ecclesiastico consistere, vt proinde Ecclesiastica etiam pietate, & lenitate temperanda sit. Quare etiamsi eiusmodi administratio, haudquaquam remissa, & segnis esse debeat in tuenda iustitia, in puniendis sontibus, in comprimendis maleficiis, decet tamen omnem ab ea acerbitatem, atque etiam seueritatem remoueri, ac potius vt dixi, inclinari ad pietatem, vt in hoc quoque Cardinales Christum Dominum imitentur, cuius potestate vtuntur. Quam etiam ob causam multa sunt in eiusmodi negocio, quæ melius per alios, quam per seipsos tractabunt, & gerent, cuiusmodi sunt, quæ ad mortem & sanguinem pertinent. Nihil enim minus conuenit Cardina-

li, quam esse sanguinarium. Quod idem video sentire S. Bernardum, ex illa Saluatoris voce, qua Petro mandauit, vt gladium suum in vagina reponeret. Nam ex eo quod suum gladium ait, ostédit Petrum quoque gladium habere:quod autem recondi iubet,id indicari, gladium hunc non ipsius manu, licet ipsius nutu euaginandum. Vterque ergo, inquit, Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille verò,& ab Ecclesia exercendus est, ille Sacerdotis,is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis. Hæc igitur de gubernatione Ecclesiastica quidem, sed à Pontifice imposita. Nam quod aliquando fit, vt Cardinales pro laicis Regibus eorum ditionibus præsint, vt nos ætate nostra vidimus Gramuelium Neapoli, Madrucium Mediolani, id adeo rarum est, adeoque non proprium Cardinali, vt de eo nihil propriè præcipiendum putem. *Lib. 3. cons.*

De protectionibus, quæ Cardinalibus interdum committuntur.

CAPVT XXXIII.

EX hoc eodem genere, quod modò tractauimus, sunt etiam tutelæ, protectiones, quæ sæpe Cardinalibus mandantur, tum religiosorum ordinum, tum piorum quorundam locorum, tum etiam prouinciarum, atque Regnorum. Nam hæ quoque, si quemadmodum debent, exerceantur, magnum afferunt fructum, contra verò magnam perturbationem, & detrimentum, si perperam administrentur. Etenim vt de religiosis primum familiis loquamur, videmus ipsum B. Franciscum inter alia capita suæ regulæ, hoc etiam suis mandasse, vt semper apud Pontificem curarent aliquẽ habere Cardinalem protectorem, & correctorem (sic enim loquitur) additque causam, vt, inquit, semper subiecti, & subditi sint Sanctæ Ecclesiæ, firmique & stabiles in Catholica fide. Quod autem hoc loco suis præcepit, ipse antea

Cap. 12.

fece

fecerat, nam poſt prima fere ordinis initia Vgolinum Cardinalem Oſtienſem poſtularat, qui poſtea Gregorius Nonus Pontifex fuit, eumque ferunt primum extitiſſe huius familiæ protectorem, Anno circiter M. CCXVI. Et tamen non multis poſt annis Alexander Quartus nullum eis alium protectorem dare voluit, quam ſemetipſum. Se enim eos in ſuam tutelam, ac patrocinium recipere dixit, nullo medio,vel interprete:idque nõ ſolum dixit,ſed etiam factis ipſis præſtitit, cum magna illius ordinis vtilitate,ac ſolatio.Quare cum deinde An. M. CCLXXIX. in generali Conuentu Aſſiſienſi creatus eſſet Miniſter generalis nomine Bonagratia, eoque tẽpore Pontificiam Sedem teneret Nicolaus Tertius,vir magnus, & Franciſcanæ familiæ iam pridem addictiſſimus, ad eum adierunt ex hac familia præcipui quique vna cum ipſo Generali,petentes, vt vel ipſe, quemadmodum Alexander,eorum protector eſſe vellet, quod quidem ipſis longè gratiſſimum eſſet,vel certe vnum ex Car-

dinalibus daret. Reſpondit Pontifex, velle ſe quidem præcipue eorum protectionem retinere, ſed tamen vt regulæ ita iubenti ſatisfieret, melius eſſe, vt ſimul etiam Cardinali alicui ea cura committeretur. Itaqué explorata eorum Patrum qui aduenerant voluntate, aſſignauit eis Matthæum Rubeum Cardinalem Sanctę Mariæ in Porticu, conſobrinum ſuum; ad quem conuerſus ita eum alloquutus fertur, Ex omnibus, inquit, beneficiis, ſiue quæ ad honorem, ſiue quæ ad vtilitatem pertineant, atque ex omnibus adiumentis ad promerendam cœleſtem beatitudinem, nihil carius, aut vtilius, vel aptius tibi dare poſſumus, quàm vt te protectorem, & adiutorem inſtituamus huius ſacri ordinis. Quare hoc tibi commendamus, vt ſuper alia omnia cordi habeas, eumque paterna cura quam ſtudioſiſſime tuearis. Hæc his ipſis verbis effatus eſt; idque tanto affectu ſpiritus, comitantibus etiam vbertim lachrymis, vt omnes qui aderant, in eundem fletum adduceret. Quamobrem cum ſatis bono ſpatio ſilétium tenuiſſet,

ſet, vt primum affectum cohibere, vocemque laxare potuit, reſumpto ſermone, multa iterum addidit in eãdem ſententiam cum diceret, ſe ei ordinem illum in fidem, & quaſi in manum tradere, ſed ita vt ſciret, nõ indigere eius gubernatione, cùm refertus eſſet viris prudentibus, qui per ſe ſatis eũ gubernare poſſent, neque vero indigere eius correctione, cùm adeò vigeret in eo diſciplina, & tanta eſſet Prælatorum vigilantia, vt vix culpæ vlli grauiori locus relinqueretur, aut ſi quando cõtingeret, ab iiſdem Prælatis ſtrenuè corrigeretur. Quare vnum eſſe reliquum, in quo ea familia ipſius opera indigeret; quia cum pauper, & imbecilla eſſet, & à multis immerito laceſſeretur, atq; offenderetur, opus eis eſſe alicuius potentioris Præſidio, qui omnem ab eis iniuriam propulſaret, ſuaque auctoritate, ac patrocinio in omnibus incidẽtibus caſibus eos protegeret. Hæc fuere verba Pontificis illius tum ſapiẽtis (ſic enim accepimus) tum etiam virtute, & ſanctitate excellentis, quæ ideo viſum eſt integra commemorare,

quoniam aptiſſimè totum Protectoris officium, ac munus indicant, quid ad illum pertineat, quid non pertineat. Igitur hoc in primis intelligere debet Cardinalis Protector, qui ſui ſint limites, ac termini, ne extra eos egrediatur. Sunt autem ij limites, quos modo diximus, ex ſententia huius tanti Pontificis, ne ſe ingerat gubernationi, neue auctoritatem ſibi vſurpet, vel inſtituendi præpoſitos, & rectores, vel deſignandi, vel mutandi loco, vel denique aliquid conſtituendi, ſiue de ſingulis, ſiue de vniuerſis. Hæc enim non ad eum pertinent, & ſi ea inuadat, neceſſe eſt magnam ſequi perturbationem, & magna detrimenta. Primum enim intelligendum eſt, Dominum Deum, qui vt ait Apoſtolus, omnia ordinatè facit, quemadmodum in religioſis; de quibus loquimur, præcipuum quendam ordinem ſuperiorum, qui regant, inferiorum qui regantur, inſtituit, ita quamdiu hic legitimus ordo teneatur, ſuam illam ſuauem prouidentiam in ipſis exequi; ſin autem hic ordo interrumpatur,

Rom. 13.

inter

interrumpi etiam cœleſtem illam cõmunicationem,& influxum, atque ex eo,vt neceſſe eſt,multos ſequi errores. Hoc autem fit, cum ij, qui legitimam non habent poteſtatem, nec ſunt legitimi ſuperiores, & conuenienter electi, aliquam ſibi gubernandi partem vendicare aggrediuntur. Quare etiamſi nihil aliud eſſet, hoc vnum poteſt eſſe nõ magnoperè damnoſum. Accedit etiam,quòd Cardinales, vt concedamus probos, & frugi eſſe,tamen cum religioſam vitam (niſi fortè pauciſſimi) nunquam experti ſint, non poſſunt vllo modo noſſe eam artem,quam nunquam tractarũt, internum etiam ne rudimenta quidem,aut ſi fortaſſe propter iudicij bonitatem aliquid amplius intelligant, certè nemo vnquam erit,qui tam benè intelligat, quàm religioſi ipſi Prælati, qui tum ſua, tum aliorum diuturna experientia magnum eius vſum,ac peritiam conſequuti ſunt. Quòd ſi ne generatim quidem tam benè noſſe poſſunt inſtituta, quantò minus deinde homines ipſos, qua natura quibus

mo

moribus, quibus etiam animi dotibus, quo ingenio, vel qua doctrina præditi sint, quid denique eis, vel profuturú, vel obfuturum sit? Et tamen quis non videt, quàm necessarium sit hęc omnia haberi quàm perspectissima, vt si Cardinalis ad singulorum gubernationem manum admouere voluerit, non possit non impingere ruẽs videlicet in tenebris? Postremo quanta ea plaga est, si quod necessario sequitur, hæc quasi ianua aperiatur, aut hæc licẽtia inducatur in religiosos, vt proprio superiore contẽpto, eiusq; iussis pro nihilo habitis, putent se paratũ habere perfugium ad Protectorẽ, & ab eo quod volunt, obtinere posse? Audeo dicere hanc verè inter maximas religionis calamitates esse numerandam, quoniam illa in primis ipsa contumacia aduersus suum patrem, quem Dei loco habeat, magna culpa est, deinde quoniam violatur ille, quem supra dixi, ordo diuinæ prouidentiæ, tum etiam aperitur aditus ambitioni, & omni corruptelæ, dum malis artibus per amicos, per aulicos, gratiosos, studet quisque quod cupit impe

impetrare:quæ omnia peſtes ſunt religionum.quoniam euertunt illam ſimplicitatem,& obediẽtiam,quã quiſque profeſſus eſt, cũ ſe totos Deo, per ſui ſuperioris , non per Cardinalis vllius manus tradiderũt.Quare nõ poteſt dici, nec credi, quam multa mala ex hac vna re in religiones inuehãtur,ſi Cardinales protectores, protectionis ſuæ metas tranſgreſſi, gubernationẽ etiam tractare incipiant:tantumque abeſt vt protectores futuri ſint, id eſt, adiutores,vt nulla re peius mereri poſſint de eo ordine,quẽ tuendum, ac ſeruãdum ſuſceperunt. Ex quo hoc etiam fit , vt non modo ipſi ſe vltro ingerere non debeant,ſed etiam ſi alij eorum operã poſtularint,in iis,quæ non oportet,reiicere omnino debeant,nec admittere quod eorũ munus,& officium non admittit.Dicet aliquis:Quid igitur ſi ſuperiores ipſi in religione malè ſe gerãt,& ab inſtituto deflectant?Reſpondemus primũ non facilè ſubditis fidẽ habendam aduerſus Prælatos ſuos,ſæpe enim immerito queruntur , atque hoc ipſum quod queruntur,& eos accuſant,

cuſant, quos amare, & reuereri debuerant, indicio eſt, non eſſe probos religioſos, quod eis iure fidem omnem abrogat, præſertim in propria cauſa. Nam ſi communis eſſet cauſa, vt de inſtituto, vel de regulis conſeruandis, in quibus nihil loci proprius reſpectus habere videatur, tum quidem aliquanto plus credi poſſet. Sed tamen quoquo modo hoc habeat, ſeruandus eſt ordo. Sunt enim in religioſis familiis ſui gradus eorum ipſorum, qui regunt, vt qui ſingulis domibus præſint, ſubſint iis, qui prouincias regunt, & rurſus ij Præpoſitis generalibus; atque etiã hi ipſi toti religioni legitimo more congregatæ. Quare ſi aliquis ex iis accuſetur, eaque accuſatio aliquid momenti habere videatur, cur negocium non eius ſuperiori in ipſa religione committatur, qui id melius videre, & decentius diiudicare poteſt? Quòd ſi alicubi ita religio, & diſciplina langueat, aut proſtrata iaceat, vt quod mali eſt, non ſatis intus ſanari queat, tũ ſanè quærenda eſt foris medicina, idque ſine dubio ad Protectorẽ per

pertinet, ſed ita vt tunc quoque nihil ad ſuum arbitrium,ſed ex ipſius ordinis inſtitutis , ac præſcriptis omnia moderetur.Immo vero quoniam nullus erit vnquam ordo tam perditus,& corruptus,in quo,vt ait ſcriptura, in re ſimili,non ſibi Dominus aliquos relinquat , *qui genua non curuent ante Baal,* 3.*Reg.*19 hoc faciendum eſt Protectori , vt ex illis ipſis,optimos quoſque, & optime ſentientes ſeligat , quorum opera , & conſilio ad reliquos corrigendos , & reſtituendos vtatur.Sic enim & remedium adhibet quod debet,idque multo melius , & aptius , quàm ſi per ſeipſum:nec quod iura religioni tribuũt, ipſe conuellit.Cæterum hoc remoto ſi religio curſum ſuum, vel mediocrem in virtute teneat,ſi ſuperiores, & præpoſiti à recta via non deflectant , tum vero nulla ratione impedire eos debet,ſed potius ſuam eis ſeruare auctoritatem , ſuamque poteſtatem ſaluam, atque integram præſtare, atque etiam omnem opem,& præſidium ferre. Verum id malum hic eſſe poteſt , quod dulcedo quædam imperandi , ita pleroſque

mortem, interdum etiam in hac vita recte factis redditur. Quare hoc ſuum munus eſſe intelligant, quorum patrocinium ſuſceperunt, eorum ſaluti, & commodis inuigilare, tueri ab externis inimicis, prohibere ne iis fiat iniuria, ſi negocium contingat apud Pontificem, id libenter complecti, & ſtrenuè, ac fideliter exequi, ſi quid petatur, ab aliis etiam Principibus, quod iis damnoſum ſit, nulla ratione cedere, licet aliqua ſibi ſubeunda ſit offenſio: non autem illorum iactura ſuis vtilitatibus conſulere: deinde ſi quid intus perturbationis naſcatur, ei occurrere, ſi qui inſolentius ſe gerant, ad eos comprimendos auctoritatem ſuam ſuperioribus accommodare, denique nihil omittere, quod eorum rationibus conferre poſſe videatur, quos ſemel in ſuam fidem, & clientelam receperunt.

De protectione vero regnorum, aut prouinciarum, hoc breuiſſime dicendum, poſſe in hoc quoque genere multam operam nauari Deo, & eius Eccleſiæ. Vt enim cœleſtes angeli, etiamſi

etiamsi omnes ad omnium animarum, & locorum opem parati, tamen sic à Deo distributi sunt, vt ex iis aliqui peculiarem curam aliquarum regionum, vel vrbium gerant, ex quo illud est in sacra Scriptura, quod & Persarum angelus, & angelus Smirnæ, vel Laodiceæ appellatur, sic Cardinales licet totius Ecclesiæ bono studeant, quibusdam tamen eius partes quædam committuntur. Quare ij quidem ita reputare debent, se quasi angelos esse earum partium, itaque sese applicare ad ferendam opem, vt eguerint. Aliter enim eget Catholicum regnum, vt Hispania, aliter totum hæresi infectũ, vt Scotia, aut Anglia, aliter etiam si periculum sit ne inficiatur, vt Gallia. Illud autem commune omnibus, vt prę-ter vniuersalem hanc curam prouinciarum ipsarum, singulis deinde etiam hominibus cum in Vrbem veniunt negociorum causa, libenter & prompte operam impertiant, interdũ etiam eos pecunia cum opus est, subleuent; pulchrum enim est, & glorioſum etiam Protectori, vt quatenus facultas sinit

Dan. 10.

Apoc. 2. & 3.

iis,

iis, quos in tutela habet, ſuas etiam opes, & ſuam domum, quaſi portum quendam aduenientibus patere velit. Poſtremo ad hanc quoque protectionem vel maxime pertinet, Pontificem adiuuare in deligendis Epiſcopis, cum in ſua cuiuſque prouincia diœceſis aliqua vacat. Ita enim vſu receptum eſt, vt hæc Protectoribus fere cura mandetur inſtituendi proceſſus, id eſt, inquirendi de qualitatibus eius, qui ordinandus eſt, & ad Pontificem referendi. Quod quidem ſi oſcitanter, ac negligenter, moriſque ſeruandi gratia dumtaxat agatur, perinde eſt, ac ſi nihil agatur, & peccatur in re maxima, nimirum ex qua populorum ſalus pendeat. Itaque agendum eſt omnino ſerio, & vere, indaganda vita, ſcrutandi mores, perpendenda etiam doctrina, & prudentia, & reliquæ dotes huic muneri neceſſariæ, & quicquid in vtramque partem comperiatur, ſincere Pontifici patefaciendum: atque in hoc quoque genere nullus locus dandus gratiæ, nullus amicitiæ, aut commendationi. Oportet enim Deo magis place

placere, quam hominibus.Extat etiam recentiſſimum , & certe ſapientiſſimum in hoc genere Gregorij XIV.decretum , quo tota ratio huius negocij explicatur. Itaque ea ratio fideliter omnino tenenda eſt,ac ſi teneatur,nihil eſt dubij, quin breui Eccleſia Catholica optimis,aptiſſimiſque Epiſcopis abundatura ſit.

De *præmio quod debetur bonis Cardinalibus,& de pæna,quæ malis.*

Caput XXXIV.

Cvm iam multa de Cardinalis tum amplitudine , & dignitate , tum etiam officio,& obligatione dicta ſint, extremo loco addendus etiam videtur breuis Epilogus , quo magis quiſque ad hoc officium præſtandum incitetur.Nam cum in omni viuendi genere virtus,& præſertim perfecta virtus eſt difficillima , tum præſertim in ſtatu Cardinalis ; in quem , ſi vere cogitare volu

volumus,tam multa concurrunt pericula,alia aperta, & manifeſta, alia occultiora,& pene latentia, vt nulla nauigatio plura habere poſſit ſcopulorũ, ſyrtium, aut turbinum diſcrimina. Ex quo certe apparet, quanto ſtudio, & quam præcipua contentione opus ſit Cardinali,ſi ſaluus eſſe velit; & felicitatem adipiſci æternam, cum in eo ſtatu ſit, qui ex vna parte tantam exigat ſummæ cuiuſdam virtutis perfectionem,ex altera vero tam multa habeat impedimenta non modo huius perfectionis,ſed ſalutis ipſius, contraque tam magna incitamenta ad ſuperbiam,ad luxuriam,ad ambitionem, & ad alia nec parua, nec pauca peccata. Quare ſi quid eſt, quod iuuare poſſit Cardinalem, vt euadat ex tot laqueis illud eſt, vt hoc ipſum intelligat, ſe in medio laqueorum verſari. Non ſibi fingat vitam quietam, & labore vacuam,quaſi adepto Cardinalatu, iam quod volebat aſſequutus ſit,iamque in portu nauiget, ſed contra potius perſuadeat ſibi,quod verum eſt, nunc ſibi multo magis, quam vnquam antea

vigilan

vigilandum, laborandum, deſudandum eſſe tum propter excellentem virtutem,atque eximia opera,quæ ſtatus ille exigit, tum propter hæc quæ dixi pericula.Vt enim qui in terra hoſtili,aut latronibus infeſta,iter facit, ſi hoc ignorat, facile in eorum manus incidet:ſi vero id norit,& timeat, cautionem quam oportet, adhibebit, armis ſe inſtruet attendet ſtrenue, omnia circumſpiciet, ex quo fit ſæpe vt incolumis euadat; ſic Cardinalis cum vndique his periculis cinctus ſit, vna ei ſalus,vna ſpes,vnum remedium eſt ex hoc timore, atque ex hac ſolicitudine,quam dixi.Sed neſcio quomodo dum homo inter alios excellit, ac dominatur, dum colitur, dum timetur, omnibuſque obſequiis honoratur, ita aſſueſcit,vt pene obliuiſcatur, ſe hominem eſſe,aliumque habere ſuperiorem ac dominũ, cui ſubiectus eſſe, & cui in omnibus obedire debeat.Quare hoc Cardinali curandum,ſemperq; præſentis Dei timor ante oculos habendus,vt non ſolum ſe Deo rationem redditurum ſciat, quẽadmodum alios

homines,ſed etiam ſeueriorem. Habet igitur Cardinalis magnum campum virtutis exercendæ , Dei promerendi, inſeruiendi Eccleſiæ , cuius eſt tam præcipuum inſtrumentum,propagandi hominum ſalutem. Habet vberem materiam cõparandi ſibi in cœlo æternum gloriæ pondus,& breui huius vitæ labore,ſi eam ſobrie , iuſte, & caſte duxerit , adipiſcendi immortalem coronam , præmium ſempiternum. Sed contra habet etiam magnam peccandi illecebram , magnam occaſionem labendi, & ruendi in æternum exitium: atque hoc quidem facilius , & procliuius,quo nimirum, & dæmon impellit,& naturæ corruptio incitat , moſque & exemplum hominum inſtigat, & denique ipſa etiam propria infirmitas prona eſt. Oportet igitur vt Cardinalis ſuæ ſalutis ſtudioſus , & cœleſtium non immemor ita ſecum decernat,eo magis induſtria ſua conniti; ac diligentius , acrius , feruentius Dei opem quærere,quo plura ſibi obſtare, & quaſi hoſtes in ſe irruere intelligit. Meminerit quod ait S.Bernardus , qui

Ser.46. tantic.

verba

illa ſponſæ, cum domum hanc Eccleſiæ deſcribens tigna eius cedrina, & laquearia cypreſſina commemorat, tigna illa Principes Eccleſiaſticos interpretatur,quia nimirum parieres, id eſt populos iuſtis impoſitis legibus ſtringunt,ne omnis ſtructura ædificij corruens diſſipetur. Magna dignitas, magnus locus in hac tanta domo:ſed hæc tigna ex cedro eſſe debent,quod vt addit S. Bernardus, lignum eſt imputribile,& odoriferum, & altæ proceritatis;ex quo intelligitur, eiuſmodi Principes validos,& conſtantes eſſe oportere, præterea longanimes in ſpe, atque ad ſuperna mentis verticem attollentes, qui etiam bonum fidei ſuæ, & conuerſationis odorem vbiq; ſpargentes dicere poſſint cum Apoſtolo: *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco.* 2. Co.12.
Hoc ergo ſi fecerint, nihil dubitare debent, quin vberrimam à Deo mercedem,ampliſſimamque remunerationem ſint relaturi. Sic enim Dominus huiuſmodi ſeruo prudenti, & fideli pollicetur,nimirum fore vt ſuper omnia bona ſua cõſtituat eum. Quid eſt Mat. 24.

autem ſuper omnia bona conſtitui, niſi in beatam illam requiem recipi, in qua ſunt bona omnia, ſummaq; & maxima felicitas, & hanc ita poſſidere, vt ſuper eam conſtituatur, id eſt, eius quaſi dominus ſit, nullo metu eam aliquo tempore perdendi. At contra, qui iſto honore, & abundantia, rerumque copia ad luxum, faſtumque abuſi fuerint, funeſtum illius exitum perhorreſcere debent, qui cum ipſe quoque indueretur purpura, & byſſo, & epularetur quotidie ſplendide, nimirum recepit bona in vita ſua, & ab his breuibus bonis proiectus eſt in ſempiterna mala, vt qui in tanta, & tam perpetua menſarum, & dapum magnificentia vixerat, ita deinde flammis cruciaretur, vt nec aquę ſtilla refrigerari poſſet. O miſeram purpurá, & byſſum infelicem. O epulas, & delicias deteſtabiles, quæ acerbiſſima, eaque ſempiterna ſupplicia adduxerunt. *Væ vobis*, inquit *Propheta*, *qui opulenti eſtis in Sion, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael.* Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtra-

Amos 6.

tis

tis veſtris, qui comeditis agnũ de grege, & vitulos de medio armenti. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. Quibus hæc magis conueniunt quam Eccleſiæ proceribus,qui in Sion opulenti ſunt; nec ſane omnibus,ſed iis, qui opes, ac redditus, quibus diffluunt, ad ſuam pompam, & voluptates conuertunt, nec commouentur ſuper contritione, ac detrimentis Eccleſiæ, quaſi ad ipſos nihil omnino pertineant? Audiant hi quod grauiſſime, & veriſſime ſcribit B. Cyprianus: Fœnore quodam, inquit, nocendi, quanto fuerit amplior ſumma dignitatis, & honorum, tanto maior exigitur, & vſura pœnarum. Audiant etiam quod eſt apud S. Ambroſium de Sacerdotibus. Vt leuius eſt de plano corruere, ſic grauius eſt, quod de ſublimi ceciderit dignitate, quia ruina quæ de alto eſt, grauiori caſu colliditur. Honor quidem Epiſcopalis hominibus præclarus eſt,ſed ſi ruinam ſuſtinent, dolor magnus eſt. Magna ſublimitas magnam debet habere

Li.1.c.2.

De dign. Sacer,c.3

bere cautelam. Honor grandis, grandiori debet ſolicitudine vallari. Cui plus creditur, plus ab eo exigitur. In quam ſententiam S.Hieronymus quoque de illo Hieremiæ Prophetæ dicto,
In c.12. Hier. *Cleri eorum non proderunt eis.* Dicitur hoc, inquit, & Eccleſiaſticis. Quid enim eos iuuare poterit Epiſcopi nomen, & Presbyteri, vel reliquus ordo Eccleſiaſticus cum magis grauentur dignitatibus ſuis, & potentes potenter tormenta patiantur? Atqui idem etiam in Ezechielem: Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina eorum qui peccant. Lætemur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimioribus corruiſſe. Merito autem ij, qui in Eccleſia eminent, & quidem adeo eminent, vt Cardinales, ſi non congruenter viuant huic eminentię, maiora merentur ſupplicia. Quid enim ſunt aliud quam operarij conducti ad eam vineam colendam, quam Dominus ipſe plantauit, & plantatam rigauit ſanguine ſuo: addo etiam conducti non mercede
In c. 44. Ezech.
vnius

vnius denarij, ſed tanta mercede eius ſtatus, in quo ſit sūmus honor, ſumma dignitas, ſumma reuerentia, magnæ diuitiæ, & ad extremum optima quæque? Quis igitur ferat eos, quibus tanta etiam in hac vita tribuuntur præmia, nihil deinde agere ad huius ſanctæ vineæ vtilitatem, ſed otioſos, ac deſides, locum inutiliter occupare? Atque hoc quidem ſatis graue, & lugendum malum. Sed quid erit ſi non modo nullam vtilitatē, ſed etiam damnum afferant, malo exēplo, liberioriſque vitæ licētia? Veriſſimum enim eſt, quod ait S. Gregorius non ſine cauſa hoc à ſcriptura commemorari, filios Iob dum in primogeniti fratris domo conuiuantur, periiſſe; quia vt minorū licentia per maiorum diſciplinam cohibetur, ſic cum ipſi quoque, qui pro cuſtodia diſciplinæ Prælati ſunt, ſeſe voluptatibus relaxant, tunc hoſtis noſter tanto vehementius vires accipit, & tanto magis ad ſubditos feriendos inualeſcit. Venit etiā in mentē ſerui eius, quē Abrahamus ſenex ad vxorem filio ſuo Iſaac deducendam miſit, quod ille *c. mor. 10*

Gen. 24.

impigre,& fideliter exequutus eſt. Hic igitur ſi herilis ſponſæ nullam in itinere curam habuiſſet, aut ſi etiam indignius eam tractaſſet,ſi gemmis, aut ornamentis ſpoliaſſet, quam crucem, aut quod ſupplicium meritus eſſet, aut quem in eum animum habuiſſet tum ſponſus Iſaac, tum Abrahamus ſponſi pater? Sic igitur, ſic Eccleſia Chriſti Dei filij ſponſa eſt, & quidem admodũ cara,& dilecta,omnes autem Cardinales,qui ad eius obſequium deſtinantur,ſerui. Quare cum huic diuinæ ſponſæ,non eam præſtant fidem,& diligentiam, quam debent, cum nihil aut parum de illius commodis cogitant, toti in ſua commoda intenti,aut quod longe grauiſſimum eſt, cum ex eius quaſi ſpoliis ipſi ornare ſe, ac ditare ſtudent, ſine dubio cũ hæc faciũt, æternum illum, & immortalem,atque omnipotentẽ ſponſum grauiſſime offendunt. Itaque aderit breui dies,cum ad eius ſeueriſſimum tribunal rapientur,vbi tanquam ſerui villicationis ſuæ rationem vſque ad nouiſſimum quadrantem reddere cogentur. Hic vita

tota

tota in examen veniet,hic functiones Eccleſiaſticæ,hic adminiſtratio opum, ac facultatum,& ipſius etiam honoris, ac muneris quod geſſerunt : hic expendetur , an eam virtutis perfectionem tenuerint , quam intus profitebantur , an ita Dei charitate accenſi fuerint,an ea humilitate,eaque corporis, & animi puritate,enituerint , quæ conuenit Cardinali , quod in eis fuerit orationis,& meditationis ſtudium, itemque aliarum omnium virtutum, quas in tali homine non ſolùm eſſe, ſed & perfectiſſimas eſſe oportet. Neceſſe enim eſt impleri quod ſcriptum eſt à B. Petro , vt iudicium incipiat à domo Dei. itemque quod à Domino prædictum eſt per Prophetam: *ſcrutabor Hieruſalem in lucernis* , quo ſignificat ſe minutiſſima quæque exquiſiturum, præſertim in Hieruſalem,id eſt in iis hominibus , qui peculiari modo ſunt Deo dicati. Quamobrem idem quoque præceptum conuenit cuique Cardinali, quod B. Gregorius Principi cuidam viro ſcribit, excellentia,inquit , veſtra à ſuperfluis tumultibus

1.*Pet.* 4.

Sopho. 1.

*Lib.*11.*epiſt.*37.

animum auertat, pluſque ea quæ animæ, quam quæ corporis ſunt cogitet; Tranſitoria eſſe omnia perpendat. Vēturi Iudicis examen verendum, cum metu, & lacrymis, quotidie ſine ceſſatione conſideret, illumque diem, in quo perturbanda ſunt omnia, cum timore ad animum reducat, vt iram Iudicis in ipſo iam die non timeat. Hoc igitur idem, vt dixi, faciendum eſt Cardinalibus, vt non adeo animum ſuum occupari ſinant, fluxa, fugaciquę huius vitæ felicitate, vt in ſempiternam deinde miſeriam incidant. Nam vt idem S. Gregorius alio loco dicit, iis, qui huius mundi rebus dediti ſunt, modo quidem velut lucidum placet blandimentum huius ſæculi, ſed cum de ſæculo exeunt, perpetuas ſubibunt tenebras, quas lucem eſſe crediderunt. Tunc videbunt, quia lux non fuit, quando in aduerſitatem proſperitas, lux in tenebras, riſus in mœrorem, dulcedo in vermem, decor in deformitatem, honor in dedecus, blandimenta in pœnas, & æterna tormenta conuertentur. Quare optimum ſane, & ſaluberri

1. *in lib.* Reg. c. 3.

berrimũ antidotum esse potest omnibus Cardinalibus aduersus venenum illud blandiẽtis sæculi, vt semper illius horæ meminerint, in qua finẽ habebit hæc felicitas, quæ certe felicitatis nomine digna non est, cum videlicet omnibus opibus, ac palatiis relictis, omnique illa pene regia gaza, quam per tot annos cumularint, relicto illo longo famulorum comitatu, soli, & nudi, nihil secum deferentes, præter id quod in corpore gesserint, siue bonum, siue malũ, ex hac vita migrabunt, cum mœrentes dolore eorum quæ deserunt, tum anxij, & trepidi eorum metu, quæ superuenient. Cogitandum valde est, ait S. Gregorius, quam terribilis erit hora nostræ resolutionis, qui pauor mentis, quanta tunc malorũ omnium memoria, quæ obliuio transactæ felicitatis, quæ formido, & consideratio Iudicis. Quid ergo esse nobis de præsentibus ad delectationem debet, quando cunctis simul transeuntibus non valet transire quod imminet? quando & hoc funditus finitur quod diligitur, & illud incipitur, vbi dolor nun *Hom. 39. in Euãg.*

nunquam finitur? Tunc maligni ſpiritus egrediente anima ſua opera requirunt. Tunc mala quæ ſuaſerunt, replicant, vt ſociam ad tormenta trahant. Cum igitur hi timores, atque hæ exanimationes, quas S. Gregorius deſcribit, in morte immineant, eoque certiores, & maiores quò ſtatus eminentior fuerit, quoniam eiuſmodi ſtatus maiora affert, magiſque implicata negocia, quid cogitandum eſt, tunc animi, & mentis habiturum Cardinalem, cum & præterita omnia bona effluxiſſe, nihilque ex eis remanere, & tot malis, totque anguſtiis vrgeri ſe videat? Declarauit hoc Hugo ille, cuius extant commentaria in ſcripturã vniuerſam doctiſſima, qui ex Dominicanorum Ordine ad hanc dignitatẽ euectus, Anno circiter M.CCXXX. cum ad exitum vitæ propinquaret, ita dixiſſe fertur: Quanto, inquit, mallem, vel elephantino morbo oppreſſus in meo paupere inſtituto vixiſſe, quam Cardinalis fuiſſe? Et tamen hic ex optimis fuit: ſic enim accepimus, nõ minorem in eo extitiſſe ſanctitatem, quã erudi-

tio

tionem. Cuius etiã illud indicium eſt, quod ipſe profeſſus eſt,aliquãdo, cum mille Turonenſes libræ(erat autem eo tempore grandis pecunia)offerrentur, non vt aliquid diceret contra æquitatem,ſed vt aliquid reticeret,quod erat pro æquitate, omnino ſe reieciſſe , & auerſatum eſſe. Igitur nihil vtilius eſſe poteſt Cardinali , tum ad ſeipſum reuocandum à malo,tum etiam incitandum ad omne bonum,quàm, vt huius ſupremi temporis recordetur,eamque recordationem quàm maximè ante oculos ferat. Quod nominatim traditur de Alexandro Oliua , qui Anno M.CCCCLX.ob eminentem doctrinam,& religionem à Pio Secũdo Cardinalis lectus , in domeſtico Sacello, Scrinij cuiuſdam ſpecie , ſepulcrũ occulte extruxerat, in quo pingi iuſſerat imaginem iacentis,& mortui Cardinalis,iiſdẽ quibus ipſe erat lineamẽtis,cũ hac inſcriptione:In omnibus operibus memorare nouiſſima tua,& nõ peccabis in æternũ.Hoc autem ſepulchrum aperiebat quotidie clam omnib.atque ibi oculis ſuis ſeipſum mortuum re-

præ

præsentabat. Idem igitur facere debent omnes Cardinales, vt semper meminerint, quàm semper sibi mors impendeat, tum ob communem fragilitatem, vitæque breuitatem, tum deinde ob casuum varietatem, à quibus ne ipsi quidem Cardinales immunes sunt, cum eandem naturam, & naturæ infirmitatem gestent, quàm cæteri. Cuius sanè rei, multa in multis documenta extitere, vt in Georgio Helser, quem Eugenius IV. omnibus penè Cardinalibus contradicentibus Cardinalem crearat, hominem militaribus potius, quã Ecclesiasticis moribus, qui nauicula Danubium transiens submersus est aquis. Itemque in Federico Clugnio circiter eadem tempora, qui repentino cordis dolore, statim extinctus est. Theodorus quoque Paleologus, quem Paulus II. Cardinalem fecerat, ex nobili sanguine Marchionum Montisferrati, periisse scribitur ex fortuito vulnere, quod acceperat impacta in erectum cultrum palma dum esset in mẽsa. At Adrianus Castellesius cum Leonem X. fugeret, honoribus, & facultatibus

tibus exutus, nuſquam apparuit, obſcuro & ignobili mortis genere alicubi ſublatus. Quid multa? Ipſi quoque homines ſunt, id eſt, mortales, infirmi, fragiles, neque eam fragilitatem immutat, vel minuit Cardinalatus: quare ipſos quoque oportet timere Dominũ *Pſal.85.* Deum ſuum, & ſubditos eſſe terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum terribili apud Reges terrę. Quare cum hoc ita ſit, vt Cardinaliũ quoque vita, atque ea tota felicitas, quæ vitam hanc comitatur, tam tenui filo pendeat, & cum deinde poſt hanc vitam tot ſupplicia, tot præmia pro cuiuſq; meritis, eos maneãt; quid reſtat, niſi vt dum licet omnia ſua ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in eo figant, & locent, vt vitæ ſanctitate huius quem tenent, loci ſanctitati reſpondent, ſuamque dignitatem, non ad ſua commoda, ſed ad Dei honorem, & obſequium dirigant, denique eos ſe miniſtros Eccleſiæ præſtent, quos eſſe voluit Deus qui eos inſtituit? Quam in ſententiam multa ad exhortandũ dici poſſunt,

possunt, sed omnium instar erit illa S.
Epist. 33. Bernardi exhortatio ad quendam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, quæ item conuenit in omnes Cardinales, omnesque vt sibi factam, & sibi
Sap. 6. scriptam accipere debent. Dico, inquit, non de præsumptione, sed de charitate, quoniam iudicium graue iis, qui præsunt, si non etiam prodesse la-
1. Tim. 5. borant: & è contra, qui benè ministrauerit, bonum gradum acquiret. Tu ergo dilectissime, & desideratissime Domine, declina obsecro magis ac magis à malo, & fac bonum, ne inueniaris in Christi hæreditate quærens quæ tua sunt, sed memor esto semper Aposto-
1. Tim. 6. lici illius: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec quicquam auferemus.* Quamobrem eam, quæ immortalis est, animam serua carissime, ne qua occasione auelli, aut eradicari queat ab affectu cordis tui, quod Do-
Matt. 16 minus loquitur in Euangelio: *Quid prodest*, inquit, *homini, si vniuersum mundum lucretur, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?* Miseri
Iob. 21. prorsus, miseri, qui in bonis ducunt dies

dies ſuos, vt in puncto in inferna deſcendant. *Cum* enim *interierint, non ſument omnia, nec deſcendet cum eis gloria eorum, quoniam vapor eſt ad modicum parens.* Hæc cogita dilectiſſime, & hæc meditare iugiter, & in corde tuo deſcribe ea, nec à memoria tua vllatenus recedant. Pſal. 48. Iacob. 4.

* * *

FINIS.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google